46


7
7 K
43




D. Hilarionis Rancati ex dono authoris

TVNCHINENSIS
HISTORIÆ
LIBRI DVO,
QVORVM ALTERO
ſtatus temporalis huius Regni.


ALTERO MIRABILES EVANGELICÆ Prædicationis progreſſus referuntur.

COEPTÆ PER PATRES SOCIETATIS IESV, ab Anno 1627. ad Annum 1646.

Authore P. ALEXANDRO DE RHODES, *Auenionenſi, eiuſdem Societatis Presbytero; Eorum quæ hic narrantur teſte oculato.*









LVGDVNI,
Sumptib. IOAN. BAPT. DEVENET, in vio Mercatorio, ſub ſigno Crucis Aureæ.

M. DC. LII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.








INNOCENTIO X.
PONTIFICI MAXIMO
BEATISSIME PATER.



IHI cum ad Beatitudinis veſtræ pedes vnâ, cùm nouâ Tunchinenſi Eccleſiâ prouolutus, admiranda prorſus ac penè prodigioſa illius Chriſti vineæ incrementa refero, venit in mentem Pauli V. Chriſti Domini in terris olim Vicarij ampliſſimum promiſſum, cum ad

eius pedes oſculandos admiſſus ſum ante triginta & amplius annos in Indias profecturus, hæc namque concepta verba protulit, quæ hucuſque cordi meo firmiter adhæſerunt. VADE, inquit, AMPLISSIMVM CAMPVM HABES AD FIDEM PROPAGANDAM, ORABO PRO TE: Huic certè ſupremi Pontificis precationi, ſecũdum Deum acceptum refero quidquid per hoc inutile inſtrumentum in ea Tunchinenſi vineâ Diuina bonitas operari dignata eſt, alios etiam gnauos è minima Societate IESV operarios ſubmittens, qui viginti annorum ſpatio, quamuis pauci vſque ad annum huius ſæculi quadrage

dragesimum septimum, iam supra ducenta millia Christianorum ad ouile Christi, è cacodæmonis iniquo cultu ereptorũ per lauacrum regenerationis adduxerant, atque in dies plurimos adducunt. Quare Sanctitatem vestram supplex obtestor, vt benignitatis suæ oculos in illud etiam remotissimum regnum ad vltimas Orientis oras positum conuertere dignetur vt potenti benedictione & speciali Prouidentia sanctitatis vestræ virentem Oliuæ ramum diuinæ misericordiæ columbâ ibi ostendente, diluuium superstitionum iam cesset, & campus amœnus Christianarum virtutum vbique



AD LECTOREM.



MIHI de Tunchinensis regni moribus, primâ Christianæ Fidei susceptione, ac incremento in illis gentibus scribere cogitanti, dubium incidit, BENIGNE LECTOR, ne fortè quædam referenti, quæ tibi essent insolita, fidem minùs mihi adhiberes, sicut mihi de aliquibus relatum est, qui similes Historias longinquarum regionum prosequentes, vt mendaciorum opifices reiecti sunt: Prudentiam fortè sequerer, si quæ in illis vltimis Orientis oris ipse vel oculis lustraui, vel à viris fide dignis accepi, mihi reseruare potiùs cogitarem, quàm in vulgus edere, ne fortè cum insolita in nostris regionibus referrem, fides mihi omnis denegaretur. At rem maturius perpendens, cum ad Dei optimi maximi gloriam non exiguam fore videam, si hæc ipsa in publicum prodeant, Superiorum quoque autoritas ad id me moueat, veritati quoque innixus, cuius vis omnia superat, statui ea præsertim quæ oculis ipse lustraui simplici ac minimè fucato stylo tibi proponere tum vt laudem Deo tribuas

DEDICATORIA.


aperiatur ad Majorem IESV CHRISTI ſupremi Paſtoris gloriam & honorem,

Sanctitatis Veſtræ,

Filiorum ac ſeruorum minimus,
ALEXANDER DE RHODES,
è Societate IESV.

A.D

tribuas, tum etiam vt adeò propenſas ad fidem Catholicam gentes vel per te, vel per alios, quà precibus, quà conſilio, quà ope iuuare ſtudeas. Tota igitur hæc narratio in duos diuiſa eſt libros, primus eſt de ipſo regno, ac moribus Tunchinenſium: ſecundus de felici principio, ac progreſſu Prædicationis Euangelicæ ad viginti fermè annos in eodem regno, animo beneuolo exiguum accipe donum, & ora pro me vale.



INDEX

INDEX CAPITVM
HISTORIÆ TVNCHINENSIS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.	*Tunchinensis Regni nomen & situs.*	fol. 1
II.	*Tunchinensis Regni ortus & initia.*	4
III.	*Honores exhiberi soliti supremo Principi Tunchinensium, quem dicunt* Büa.	8
IV.	*De Rege subalterno quem* Ciüam *dicunt.*	11
V.	*Triremium Tunchinensium & Cocincinarum robur, numerus, structura.*	13
VI.	*Regis Tunchinensis potentia & diuitiæ.*	17
VII.	*Tunchinensis militiæ stipendia & Ordines.*	21
VIII.	*Militum Tunchinensium discipiina & moderatio.*	22
IX.	*Politica Tunchinensium Gubernatio.*	25
X.	*Doctorum apud Tunchinenses solemnis inauguratio.*	27
XI.	*Quo pacto facinorosi à iudicibus plecti soleant.*	29
XII.	*Terræ Tunchinensis fructus præcipui.*	32
XIII.	*Animantia quibus abundant terræ Annamicæ.*	35
XIV.	*Tunchinensium mercimonia.*	39
XV.	*Tunchinenses Monetæ.*	40
XVI.	*Tunchinenses superstitiones & prior earum secta.*	42
XVII.	*Altera Tunchinensium superstitionum secta.*	46
XVIII.	*Varÿ Tunchinensium ritus, circa cultum idolorum.*	51
XIX.	*Tertia Tunchinensium superstitionum secta*	53
XX.	*Multiplex Tunchinensium Veneficorum, circa defunctos, superstitio.*	58
XXI.	*De Funeribus & sepulchris Tunchinensium.*	61

XXII. *De solemni Conuiuio quod in honorem defunctorum celebrant Annamici.* 65
XXIII. *Plures aliæ Tunchinensium erga defunctos obseruationes superstitiosissimæ* 69
XXIV. *De Caremoniis quibus Rex diem suum natalem celebrat.* 72
XXV. *Variæ Tunchinensium Vanissimæque obseruationes.* 73
XXVI. *Matrimonia sua quo ritu Tunchinenses celebrent.* 75
XXVII. *Varij ritus Tunchinensium sub anni finem & initia.* 79
XXVIII. *Toni & accentus linguæ Annamicæ.* 84
XXIX. *Variæ Tunchinensium nomina.* 86

INDEX

INDEX CAPITVM

HISTORIÆ TVNCHINENSIS.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.	*PRIMVS Euangelij ingressus in hoc regnum.*	fol. 1
II.	*Operarij Euãgelici Tunchinũ euocati è Cocincina*	6
III.	*Euangelicorum operariorum felix ad Portum Tunchinẽsem appulsus.*	9
IV.	*Multorum ad Christi fidem concursio, in pagis vicinioribus.*	14
V.	*Primus nostrorum in Regiam ad Regem ipsum ingressus.*	17
VI.	*Magni Ethnicorum concursus ad audiendum in prima Tunchinensium Ecclesia verbum Dei.*	22
VII.	*Alij plures ex pagis vicinis fidem amplectuntur.*	26
VIII.	*Sayorũ inanes conatus & plurium ad fidem conuersio.*	29
IX.	*Regis Tũchinensis è Cocincinẽsi expeditione reditus.*	32
X.	*Summa Regis voluntate in Tunchini Regno, morari iubemur.*	35
XI.	*Profectio nostra in Vrbem Regiam.*	38
XII.	*Auspicatus nostrorum ad aulam Regiam accessus, & prima Euangelij promulgatio.*	42
XIII.	Saj *quisdam celeberrimus, fidem amplexus, multos Christo lucratur.*	46
XIV.	*Ethnici non pauci Baptismo lustrantur.*	50
XV.	*Rex Tunchinensis non procul à suo Palatio hospitium ac templum construi iubet, in quo nostra munia obimus.*	52
XVI.	*Doctrina Christiana tradenda methodus.*	55
XVII.	*Euentus quidam insignes tenellam adhuc Neophytorum fidem magnopere confirmant.*	59

XVIII. *Complures agros diuinitus curant Neophyti, admota male affectis corporibus Cruce & aqua lustrali.* 64
XIX. *Nonnulli Neophyti suam nobis operam in reliquam dicant vitam.* 68
XX. *Abalienatur à nobis Rex Tunchinensis.* 72
XXI. *Quibus lenimentis exacerbatum Regis animum, & artificiosè confictis hostium criminationibus occupatum placauerimus.* 76
XXII. *Neophytorum zelus ac pietas in festis per annum recurrentibus celebrandis.* 81
XXIII. *Christianorum quorundam non fœlicissima.* 85
XXIV. *Prohibetur nouo Regis edicto, Euangelicæ prædicationi vlterius operam dare.* 90
XXV. *Quantus Christianorum omnium mœror fuerit in acerbissimo illo casu.* 95
XXVI. *Quomodo Christiani ad Ecclesiam sensim iterum conuenerint.* 99
XXVII. *Nouo Regis edicto in exilium tandem amandamur.* 103
XXVIII. *Exilij nostri Varij Casus & circunstantiæ.* 108
XXIX. *Reliqua itineris nostri ratio & ducis ipsius ad Christi fidem conuersio.* 115
XXX. *Ex Bochinica Prouincia in Gheanicam iterum ingredimur.* 118
XXXI. *In summas rerum angustias redacti misericordissimè à Deo liberamur.* 122
XXXII. *Adueniente tandem lusitana naui ab exilio liberamur.* 126
XXXIII. *In Regia Tunchinensi, nostris iterum ministeriis operam damus.* 129
XXXIV. *Christiani aliquot miserè à Dæmone vexati magis tamen in fide suscepta confirmantur.* 132
XXXV. *E toto tandem Tunchinensi Regno, cum Lusitana naui exire cogimur.* 136
XXXVI. *Christianorum Tunchinensium data in discessu nostro litteræ ad Vrbanum VIII. Pontificem maximum.* 141

Redeunt

Index Capitum.

XXXVII. *Redeunt in Regnum Tunchinense iterum Euangelici operarij.* 143

XXXVIII. *Neophyti cuiusdam Tunchinensis præclara fidei confessio & mors constantissima, cum pluribus miraculis.* 146

XXXIX. *Ethnicorum complurium conuersiones mirabiles.* 150

XL. *Quanta fuerit Regis erga nostros humanitas vsque ad discessum Lusitanæ nauis.* 153

XLI. *Virginum multarum eximia pudicitia & constantia.* 156

XLII. *Laënsis expeditio per nostros frustra tentata.* 159

XLIII. *Laënsis expeditio per Tunchini terras, frustra tentata fæliciores aliunde successus habet.* 162

XLIV. *Molestissima quadam persecutio Tunchini à Cinis concitata sedatur tandem in authorum ipsorum pudorem.* 164

XLV. *Tunchinensis Ecclesiæ latissima incrementa & operariorum aliquot mors acerbissima.* 167

XLVI. *Neophytorum aliquot mors sanctissima.* 170

XLVII. *Catechistarum aliquot & complurium aliorum finis deuotissimus.* 174

XLVIII. *Noua in Christianos procella.* 179

XLIX. *Dei erga Tunchinenses Neophytos eximia quadam gratiarum dona.* 184

L. *Patrum aliquot Societatis triste naufragium.* 187

LI. *Noua Tunchinensis Ecclesiæ incrementa ex Cinis.* 191

LII. *Recentiora de præsenti Tunchinensium statu nuncia.* 193

ẽ 3

EGO infra scriptus Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati concessum à Christianissimis Regibus, permitto IOAN. BAPT. DEVENET, Bibliopolæ Lugdunensi, vt excudere & libere diuendere possit opus quod inscribitur, *Historia Regni Tunchinensis, &c.* Compositum à P. ALEXANDRO DE RHODES, ac recognitum à tribus eiusdem Societatis Patribus, & id ad sex proximos annos prohibitis omnibus aliis ne excudant aut jubeant excudi sub pœnis in eodem Priuilegio appositis. Datum Auenione 1. Maij, Anni 1651.

IOANNES GAYETVS.

HISTORIÆ

occidens.

12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23

CAMBOGIÆ PARS.

LAORVM PARS

Solitudo



Regnu Annam

CINÆ PARS

TVNKIN

KEDOM

CAVBANG

PROVINCIA CANTON.

Hainan.

MARE SINICVM

CIAMPA

Meridies

COCINCINA

Ke nam

Ha hoy

Kemaoc

Den ho

Phai Ke

Thich

Ke Bac

Trang tay

bode.

Nghe an

Thanh

hoa

Kebo

Ke Voy

Kenua

Longuam

Dangon

Cham he

Ke coc

Ke con

Ke tru

Ke toy

Dai tien

Chin tan

Turris.

Timpe.

Tignoja

Pulocacio

Sepul

S Xauery.

Macao

Quanghia

Ran Ran

Pulocambi

Pulocatti

pulociampello

Cua Soi

Cua Ciu

Dinh ca

12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23

Oriens.

septemtrio




HISTORIÆ TVNCHINENSIS, LIBER PRIMVS.

De statu Temporali totius regni.

Tunchinensis regni nomen & situs.

Capvt I.



VNCHINENSE regnum, vnam olim è maximis Cinensis imperij Prouinciis fuisse, argumento est, nomen ipsum quod adhuc retinet. Quippè sicut Pechinum Cinæ, regiam dicunt Septentrionalem, australem verò Nanchinum, sic Tunchin Orientalis plagæ regiam significat. Quod, Tun, Orientem, Chin, recepto idiomate regiam nominent. Tametsi enim versus Meridiem, magis, quam ad Orientem Cinensium terris Tunchin adiaceat. Quia tamen imperium illud Cinarum, vltra

laorum, & siami terminos olim protendebatur (quæ omnia regna sunt ad occidentem Tunchin) rectè respectu eorum, regia denominata est Orientalis; quod in ea, regnis ad occiduam plagam vergentibus, ius diceretur. Ne habentes causas, sex & ampliùs mensium iter, Pechinum, aut Nanchinum conficere tenerentur. Postquam verò à magno Cinensium Imperio defecere occidua illa regna, totus hic tractus Tunchini, & Cocincinæ Annam dici cœpit, idest requies meridionalis. Sunt enim Cocincina, & Tunchinum, vna prorsus eadémque natio, similes vtriusque gentis mores, idem idioma, quæ tamen ambo quomodò deinceps diuidi cōtigerit, postea narrabitur.

Nunc de Cocincinæ, aut Caucincinæ quoque nomine pauca ponam. Cum enim totius regni Annam ciuitas primaria *Chè cè* diceretur; mercatores qui huc è Iaponiâ commeabant; corrupto nomine Coci appellarunt: quod imitati posteà Lusitani, vt regnum istud à Cocino quod est iuxta Goam distinguerent, dixere Cocincinam, quasi Cocinum iuxta Cinas. Neque noua est appellatio quæ iam indè à temporibus sancti Xauerij vulgaris erat. Vt constat ex Epistolâ magni huius Apostoli vbi narratur ingens procella, quâ iuxta illam oram penè mersa est nauis Xauerium ipsum deuehens in Iaponiam, anno 1549. tunc enim idest ante annos centum, vigebat nomen illud Cocincinæ & ipsi etiam Tunchin commune erat. Vt mirum non sit, si recentiores quoque tabulæ, regnum hoc amplissimum describentes, illud vnico, & notissimo Cocincinæ nomine appellent. Nunc autem quoniam antè annos penè triginta, distincta sunt duo illa regna, de Tunchinensi, mihi solùm,

lùm, propoſitum eſt dicere; cum autem vtriquè communia occurrerint, tunc communi quoque nomine regni Annam vtendum erit.


Nunc quod ad ſitum attinet, vniuerſum hoc regnum Annam, à gradu duodecimo latè patet verſus Septentrionem, vſque ad 23. incluſiuè, ita tamen vt quicquid intra 12. & 17. continetur, id totum pertineat ad Cocincinam. Indè verò à 17. ad 23. regnum ſit Tunchini. Quæ duo, ſic incolæ diſtinguunt, vt Tunchinum veſti comparent, Cocincinam Zonæ. Quod Tunchinenſis regni quatuor Prouinciæ ſpatijs æqualibus, & fere quadratis, per multa milliaria excurrant. Cocincinam verò vicini montes ita comprimant, vt ad 50. milliaria vix perueniat totus ille tractus, à littore ad montes quos incolunt barbaræ quædam gentes à reliquo Annam, linguâ & moribus, penitus diuerſæ, Remoys vulgo nominant; ab auſtro autem ad Septentrionem, latè Cocincina diffunditur ad 300. circiter 50. milliaria Italica. Sunt etiam qui dicant pertinuiſſe regionem hanc olim, ad regnum Ciampa, ſed Ciampæos vi armorum pulſos ab Annamitis, totam hanc terram paucis ab hinc annis deſeruiſſe.

Fines igitur regni Annam, ab aquilone quidem ſunt Cinæ, ac alius quidam regulus dictus Ciũa-chauh. A Meridie regnum Ciampa, ab Oriente partim mare Cinicum, quod Luſitanis vocatur Golpho de Aïnam. Partim regulus ille Ciuachauh: denique ab occaſu terminatur, indè quidem Laorum regno, vaſtâ tamen inter vtrunque, interjectâ ſolitudine ducentorum circiter milliarium, inde vero barbaris illis Remoijs quorum ſupra memini.



Tunchinensis regni rotus & initia.

CAPVT II.



NITIVM huic regno dedit, rebellio contra Cinas, ante annos circiter octingentos. Cum enim Tunchinenses crudele Cinarum dominium ferre non possent, excussere tandem iugum, & gubernatore Prouinciæ interempto, regem sibi elegere de gente suâ: Et ne vllum deinceps vestigium maneret prioris status, diuersos etiam mores suscepere. Cum enim Comam omnes vulgo promissam nutrirent, eamquè reticulis aptè supra caput colligerent, ac pileolis operirent, edixerunt publicè Tunchinenses in signum communis libertatis, vt eiectis reticulis coma posthac libera fluitare sineretur per humeros. Deinde cum ocreis etiam omnes vterentur, propter lutum quo abundat regio, conuenerè omnes, vt omni calceorum vsu deinceps abstinerent, quod ad hæc etiam temporà seruatur: multa indè (vt fieri solet) gentis vtriúsque prælia, paxque tandem, ea conditione inita est, vt tertio quoque anno Tunchinensis Rex, ad Cinensem, Pechinum veniret cum muneribus. Id quod hactenus præstat semper accurratissimè.

Verùm compositâ cum Cinis pace, dissensere Tunchinenses inuicem, gemináque rebellantium conspiratione factum est; vt vniuersum illud regnum Annam quod vni solùm Principi suberat; in tres hodie partes

tes

tes diuiſum ſit, totidémque regibus pareat. Et prior quidem ſeditio annis ab hinc ducentis in vrbe regni primariâ ſic contigit. Diſceſſerat Rex in Suburbana rura, vt abſtraheret tantiſper animum à curis; cum ecce is quem cuſtodiæ Regiæ domus præfecerat, repentè fit regni dominus, expulſóque in vltimos Imperij fines, verſus auſtrum legitimo Rege, è ſeptem Prouincijs in quas Tunchinenſis ditio diuiſa erat, vendicauit ipſe ſibi quatuor præcipuas, tenuitquè deinceps annis ferè centum.

Sic ſpoliatus Rex maximâ & pulcherrimâ Imperij ſui parte, deſperatáque ſerui rebellis vindictâ, adiecit aliò curas, & verſus auſtrum regni fines auſus protendere, pugnauit fœliciter aduerſus Regem Ciampa, eumque ad interiores auſtri plagas ſic compulit, vt tota illâ regione potitus ſit, quam vocamus Cocincinam. Atquè ijs tam lætis ſucceſſibus, nequaquàm animatus, in medio fœlicitatis curſu; otij amantior quam victoriarum, neglexit fines Imperij latiùs proferrè; totumque ſe quieti tradens & delicijs, ſeceſſit in Prouinciam *Thin hoa* totum interim exercitum, belliquè curas, præfecto militiæ permittens, homini ſolerti, & rerum magnarum capaci. Quâ ille ſtatim occaſione vtendum ratus, cogitare primùm cœpit de veteri regno recuperando; & principem illum rebellem ſubito aggreſſus, multis prælijs tandem oppreſſit. Deinde verò cum iam ſatis fortunæ ſuæ credere cœpiſſet cogitauit etiam de toto Imperio ſibi ac ſuis parando. Videbat nimirùm exercitum ſè habere amantiſſimum & ad omnes nutus paratum, Regem autem otio marcidum regni adminiſtrãdi, curas omnes abieciſſe, atque in ipſum contuliſſe.

Ex his igitur initijs factum est, vt solum ferè nomen regibus ipsis manserit, administratio autem tota regni, soli militiæ præfecto, cum summa authoritate traderetur: transiuit enim ab eo tempore officium illud, hæreditario iurè ad posteros non expectato vllo Regis nutu. Gerebat porrò præfecturam illam antè annos ferè centum Cocincinæ Regis nunc viuentis abauus. Is (vt ferunt) cum pugnaret aduersus rebellem illum, de quo dixi, in ea solitudine quæ Tunchinum à Laïs diuidit, ab inimicorum repentè cuneis circundatus, in in summum venit periculum. Erexit autem tunc animum impauidus, & milites appellans, Eia (inquit) socij, fortiter vt soletis agite, sin è vobis aliquis, præsenti me discrimini subduxerit, huic ego, filiam meam vxorem spondeo. Ad has ducis voces, fortissimus aliquis de turbâ miles, elephanto insidens mirè animatus, irruit statim, in medios hostes, præfectumque morti iam proximum in tuto collocat, & mox cum ipso prælium instaurat. Fuit hic viro præstantissimo primus ad summos in republicâ honores gradus. Nam, & præfectus, accepti beneficii memor, filiam illi suam tradidit; & partem etiam exercitus commisit, imò & cum breui posteâ sublatus, filium reliquisset impuberem, & paternæ dignitatis adhuc incapacem, sufficitur gener in soceri locum, summâ regni totius voluntate.

Sed vix tamen præfecturam illam gerere cœperat, cum generosos excrescentis pueri animos conspiciens, timuit spoliari officio, quo solà ætas puerum priuasset sicque crudelissimum meditatus consilium, excæcante mentem (vt-solet) ambitione, statuit innocentis morte, ab omni se dignitatis amittendæ metu immunem præstare.

Neque occultæ fuere fraudes, ſubodorata eſt facinus, adoleſcentis ſoror, quæ ſtatim, & maritum à ſcelere, & fratrem à nece liberare cogitans, viro ſuadet, vt imminente tunc in Concincinâ bello, fratrem eò dimittat, & ſpecie illâ falsâ honorificæ legationis verum exilium occultet. Placuit marito prudens coniugis conſilium, fuitque illud vtrique ſalutare. Nam adoleſcens, vt erat ſagax, & fortis, profectus cum gubernatoris titulo in Concincinam, omnes ſenſim peremit, à quibus periculi aliquid timere poterat: deinde tantâ ſapientiâ, & moderatione vſus eſt; vt regnum ſibi Cocincinæ parauerit; primus ibi Rex nominatus, cum tributi onere, quod Tunchinenſi Regi cognato ſuo deinceps penderet. Nomen illi *Ciüa on* hoc eſt Rex dominus, fuitque auus illius Regis, quem ego ante annos quatuor terris illis imperantem vidi.


Sed neque marito, minùs commodè ceſſit ſapiens fœminœ conſilium, nam is omni vacuus timore, præfecti munus cum ſummâ poteſtate diù geſſit, tranſmiſitque illud in poſteros. Profligatis enim rebellibus, præſertim illis, qui centum iam annos, quatuor Tunchinenſis regni prouincias occupabant, nobile ipſe nomen *Ciua bang*, adeptus eſt, hoc eſt Rex iuſtus. Quem aiunt fuiſſe auum, Regis tunc viuentis, cùm ego ad has terras appuli. Vendicauit autem ſibi omnia regni iura, præter paucas aliquas prærogatiuas honoris, principi ſupremo deferri ſolitas, vt narrabo ſtatim.

Interea vero rebellis ille Ciüa bang armis deuictus, ſeceſſit in montes Cinis finitimos, occupatiſque locis aliquot ſitu munitiſſimis, nomen ibi Regis, & inſignia retinuit. Fundato autem regno perexiguo, ſæpe deſcendis

dit infestus ex præruptis montibus, magnásque in subiectis vndique locis strages edit, multis quidem superatus prælijs, sed nondùm omninò profligatus.

Honores exhiberi soliti supremo Principi Tunchinensium, quem dicunt Bũa.

CAPVT III.


NTER alios ritus quos hi populi religiosissime obseruant, primum tenet locum solemnis, ad aperiendam terram, & colendos agros, omnium inuitatio, quæ ineunte semper anno, maximâ pompâ indici solet. Anni autem exordium apud Tunchinenses, & Cinas, incidit in medium illud tempus, quod Hibernum solstitium, ab æquinoctio verno æqualiter diuidit; respondétque quinto Februarij nostro, modò sit nouilunium.

Sub id igitur tempus eligitur dies ille, quem mathematici, aut etiam magi designarunt (quibus hæ gentes omnia tribuunt) illo die qui vt plurimùm est ab inchoato anno tertius, conuenire in regiam tenentur omnes, qui officium aliquod gerunt in republicâ, præclaro cuncti ornatu, insignia ferentes dignitatis, eoque apparatu Regem totâ vrbe comitantur, hoc fere ordine.

Primi omnium milites agmen ducunt: omnes egregiè armati, quorum ego numerum, cum præsens adessem, tametsi omninò inire nequaquam potui, iudicaui tamen illum esse hominum circiter quinquaginta millium.

ta millium. Poſt turmas militares ſequebantur duces, & præfecti, delectáque nobilitas vniuerſa. Omnes in equis eximie phaleratis, aut etiam grandioribus ſublimes elephantis. Memini autem me tunc numeraſſe huiuſmodi elephantos ſicures plures trecentis. Deinde Ciüam vidi *Thando vuang* ideſt Regem, inferiorem illum quidem, ſed totius (vt dixi) regni adminiſtrum. Vehebatur ille aurato curru, ex quo poſtea deſcendens, elephantem conſcendit, quem regebat aptiſſime. Inde litterati omnes longo agmine tum Doctores, tum Baccalaurei, talaribus induti togis pretioſiſſimis. Vltimus omnium ipſe Büa, grandi conſpicuus ſolio viginti pedes alto, humeris hominum portabatur, pendebant è throno ſerica vndique, & pulcherrima periſtromata coloris aurei, eximio ſanè apparatu. Hunc autem colorem ſolus ſibi Rex vindicat, aliorum omnium cultus erat fere violaceus.

Eo igitur apparatu prodiens Rex è palatio quod *Den* nuncupant, eſt que circuitus eius ampliſſimæ vrbi fere par, totam obit ciuitatem, deinde in campum latiſſimum progreditur. Ibi deſiliens è throno, ante omnia ſolemniter cœlo litat: deinde aratrum affrabre elaboratum, egregiéque ornatum, manu apprehendens, terram ſulcat aliquandiu. Vt eo exemplo, ſuos edoceat nihil eſſe poſſe otio peius, nihil labore amabilius; à quo ne ipſi etiam Regi vacare liceat. Tum Ciüa (ille à quo dixi regnum gubernari,) proſtratus, Büam ſtantem ſupplex veneratur, obſequijque fidem pollicetur. Deinde ingens illa turba prono in terram corpore Regem ſuum adorat, eique quantâ maximâ poteſt amoris ſignificatione benè precatur. Denique in Regiam

eodem ordine princeps reuehitur. Atque hic præcipuus honor est, quo Tunchinenses Regem suum quot annis, religiose venerantur. Ad hæc bis etiam singulis mensibus, in nouilunio nimirùm & plenilunio Doctores omnes, & litterati conuenire tenentur principem: eique tum vt Regi tum vt litterarum patrono exhibent obsequium. Nam & ipse Büa Doctores inaugurat, & examinibus præest. Imò & honorum titulos omnes principibus ducibusque confert; non arbitrio suo, sed ex eius nutu quem communiter Regem appellari dixi.

Denique à die ipso, quo regnum suscepit Büa, numerari anni solent, diplomata omnia tum priuata tum publica obsignari, & nomine quoque ipsius denominari. Sin contigerit communi aliquo malo vexari regnum, ingruere nimirum pestilentiam, sterilitatem, aut alia huiusmodi mala publica, mutatur sequenti anno ipsi Büæ nomen, vt eo mutato, cesset etiam infortunium. Ac deinceps ex eo nomine, incipiunt computari anni, perinde ac si nouus eis Rex obtigisset.


Quod autem spectat ad ipsius Büæ inunguratıonem. Desumitur ille quidem semper ex antiquissimâ nobilissimáque familia, & Cinıs etiam ipsis notâ.

Sed non deligitur nisi ex suffragio ipsius Ciüæ, quem deinceps Regem appellabimus, imò & tantùm authoritate valet, vt Büam etiam ipsum possit deponere, aliúmque ex eadem prosapiâ promouere ad Imperium. Familia porrò ex quâ plures iam annos Büæ deliguntur, domus *Lè* vocatur, toto regno celeberrima. Estque post fundatum Tunchinense regnum, quarta, ex qua non interrupto cursu, delecti sunt Büæ.

De

De Rege ſubalterno quem Ciüam dicunt.

CAPVT IV.



OSTQVAM *Ciüa bang* ille cuius ſupra memini, mirabili prudentiâ & fortitudine pluribus tandem præliis annorum quadraginta fudiſſet, & regno expuliſſet rebellem illum qui quatuor (vt dixi) prouincias tyrannicè inuaſerat; tantâ cœpit valere apud omnes gratiâ, & authoritate, vt communi conſenſu appellatus ſit *Vvan* quod Cinico Idiomate, idem ſonat, quod Büa ſignificat Tunchinico. Suſcepit autem annuente ipſomet Büa cum Regio nomine regiam etiam poteſtatem. Quo in munere adiunxit ſibi omnium animos, & felici ſemper fortunâ vſus, ad extremam deuenit ſenectam. Sed vbi tamen ætate iam confectus, in lethalem incidit morbum, degener filius præmaturâ regnandi actus cupidine, moribundo patri eripere tentauit regnum. Quo intellecto furens ſenex filium ſtatim dire cruciari præcipit, ac tandem confractis curibus necari. Succeſſit in eius locum, & paterno regno donatus eſt, de fratrum etiam ac cognatorum conſenſu filius ſecundo genitus, patri vnice Charus, ſingulari iuuenis ſolertiâ, moribus compoſitis & indole mirabili.

Rex ergo nouus, cum primùm ſenſit ſatis ſibi confirmatam eſſe apud omnes authoritatem, in id ante omnia incubuit, vt toti regno firmam ſanciret pacem.

Et nè rebellium vnquam audaciæ pateret aditus ad rerum nouarum molitionem, constituit vt in tribus illis Prouinciis quæ nunquam à Rege defecissent, quinquaginta militum millia, in vrbe Regiâ *Chè cè* sub signis semper haberentur, alerenturquè impensis quatuor Prouinciarum anteà rebellium. Eo consilio, vt eos princeps haberet semper ad manum, ijsquè vteretur ad omnia regni negotia pro nutu peragenda. Cum enim ciuitas hæc in ipso regni vmbilico constituta sit, nulli exoriri possunt in Prouinciis bellorum tumultus, quos accurrentes, iussu principis, militares copiæ non statim opprimant. Neque hic quieuit sagax prudentissimi Principis prouidentia. Cùm enim cerneret. Regionem totam plurimis, ac maximis plenam esse fluminibus; per quorum alueos infesti sæpè descendissent rebelles, & omnem latè regionem populati essent. Id tam grandè malum prouidentissimus Rex vt auerteret, innumera construxit nauigia, & plurimas etiam triremes. Numeraui ego aliquando quadringentas & plures etiam grandes onerarias cum myoparonibus, adeò vt omnium numerus superaret haud dubiè millenarium.

Sunt vero Tunchinensium triremes constructæ in hunc ferè modum. Longitudine nostras sæpè superant. Remos vt plurimùm, ex quâuis parte habent viginti quinque oblongi sunt, læuigati, & nostratibus leuiores, possuntque singuli à singulis non difficilè impelli: stantes semper remigant & dissimili à nobis artè; quippe toto corpore incumbentes, remos antrorsùm agunt. Neque ignominiosum hoc munus est, sed maximè apud illos honorificum, præsertim quoties triremi Rex ipse vehitur, aut eius comitatus. Imò cum pugnatur è naui-

bus,

bus, militum id officium est: eorum enim alij remigant, alij remigibus mixti pugnant. Neque vlla est nauis, quæ pluribus instructa non sit tormentis, etiam majoribus. Habent autem ad minimum singulæ in prorâ vnum, in puppi duo, deindè incredibili pollent velocitate, atque adeò europæis nostris etiam grandioribus valdè formidabiles.

Atque vt videas quantâ Tunchinenses arte Bombardis his vtantur, non omittam dicere, quod memini non ita pridem contigisse nobili Lusitano artis huius peritissimo. Prouocatus ille fuerat à militè Tunchinensi ad probandam peritiam, ac primus quidem Annamicus glandulam emittens, tam aptè direxit instrumentum, vt ipsum albi centrum attigerit. Quod perspiciens Lusitanus, ac meritò timens, nè si vinceretur honoris dispendium incurreret, cautè sibi faciendum putauit, vt tormentum exploderet absque glandulâ, tùm audacter exclamans, eia inquit in eadem aduersarij rimulâ glaudulam meam perquiritè. Sicquè ingeniosè explodendi artem, fallendi suppleuit industriâ.

Trirenium Tunchinensium, & Cocincinarum robur, numerus, structura.

CAPVT V.



TRASQVE conjungo quod simillimæ sint, nisi quod Tunchinicæ Cocincinensibus potiores videntur numero, magnitudine, omniquè genere ornamentorum, præsertim auri ductilis

quod è Cinis auehitur. Sunt tamen omnes fortissimæ quod patebit ex narratiunculâ quam subijcio.

Exarserat inter Tunchini, & Cocincinæ Reges graue bellum; & iam ter irrito conatu aduersarium, Tunchinensis aggressus erat, quod ferens iniquissimè honorificam ad Batauos qui Iacquetram incolunt, legationem misit, auxiliares ab eis copias postulans. Hollandi Cocincinensibus iam diu infensissimi; opem pollicentur, & sine morâ tres naues è grandioribus, omni commeatu bellico instructas, & egregiè munitas mittunt. Venére illæ fauentibus destitutæ ventis, in conspectum portus alicuius Cocincinæ, vbi tum Rex fortè, cum aliquot trirennibus aderat. Regem autem comitabatur nobilis Hollandus, qui è naufragio ante annos aliquot, incolumis euadens, militauerat deinceps in Cocincinâ. Sciscitatur statim ab eo Rex, num existimet emitti posse Cocincinenses triremes, aduersus Hollandicas illas naues. Ita nè verò? (inquit Hollandus blatero) triremes illæ tuæ ô Rex nauibus illis victricibus pares esse poterunt, quibus expugnandis totus cœli furor vix sufficit. Siluit tunc, & iram Rex pressit, sed imperauit illico ducibus vt irent impigri, & naues illas batauicas impeterent. Fauebat tum mare triremibus, quod vix flante vento, ægrè naues mouerentur, vnde statim vectores territi cogitare cœperunt de fugâ. Sed irrito Conatu, nam earum quidem minima, modico illo ventorum flatu opportunè vsa, periculum euasit. Altera insectantes triremes fugiens in scopulos impegit, & perijt. Supererat tertia omnium maxima & munitissima, quam aggressæ aduersariæ triremes quatuor, primum eminùs crebrâ Bombardarum displosione, comminuere gubernaculum,

bernaculum, malum, Antennas, vela omnia pessundedere. Deinde cominùs cum subire nauim pararent Cocincinenses, desperatâ Batauí salute, iniecere ignem tormentario puluerí, quo tum ipsi, tum aliquot etiam aduersarij miserè deflagrauere.

Subduxere sè incendio Hollandi septem, in mare desilientes, quos continuò captos, deduxere Cocincinenses ad Regem. Qui tametsi præ gaudio vix sè caperet fremebat tamen adhuc irâ, ob audaciam illam priorem tumidissimi Hollandi, ad quem incredibili tunc pudore anxium, conuersus. Heus tu? inquit, nosti eximios hosce homines, ecquid cessas rogare illos vndenam aduenerint, ille fastu in timorem verso. Noui, ait, ô princeps, miserrimos milites, tristissimas quassatæ nauis reliquias? pergit Rex, perijt ergo nauis, sed quo tandem premente, aduersario, tuarum, videlicet triremium impetu, reponit tremens Hollandus. Ad quæ iterùm Rex, triumphales igitur illæ, nec vincendæ nisi cœlo naues, paucis hiscè triremibus meis non fuere pares. Eia milites amputate tumidum hoc caput, & septem has victimas misero adjungite. Factum est vt Rex imperauerat, insuperquè præcisæ sunt octo illis nares, & alijs omnibus quorum naufraga cadauera extrahi potuerant è mari, easque coniectas in cophinum insultans misit Rex ad Tunchinensem aduersarium En inquiens ô Rex exercitus tui partem selectissimam. Alia si me audis, & tutiora tibi nunc quære præsidia, vt quam præceperas animo de me victoriam possis assequi. Displicuit Tunchinensi, atrocior hæc sanna, & Batauicam illam nauim quæ fugam capessiuerat, recusauit admittere in portum aut vllo subsidio iuuare. Et hoc specimen, sit eximij

roboris

roboris quo pollet hæ naues, nunc venio ad numerum. Hunc autem, ego quidem exactissimè inire nequaquam potui, quod plurimæ illæ sint & in varios portus dispersæ. Sed quia tamen certò comperi, triplo aut etiam quadruplo plures illas esse quàm Cocincinenses, non fuit mihi difficilis de Tunchinensibus coniectura. Numeraui enim, in maximo illo fluuio qui Cocincinæ regiam alluit, octo supra sexaginta, in reliquo etiam regno vidi longè plures præsertim in portu illo celeberrimo quo plurimæ appellunt è Cinis naues diciturque *Checian*. Et alias quoque plures iuxta fines Ciampensis regni, vbi semper armatæ, & expeditæ habentur ad repellendos Ciampensium incursus qui ab illius regni finibus olim pulsi, eo rursus penetrare sæpius conantur. In Cocincinâ igitur existimauerim esse semper ducentas ad minimum triremes omnibus semper rebus necessariis instructissimas. Tunchini autem illas esse plures sexcentis, sed amplissimas, & egregie munitas.

Superest structura, pulcherrima illa sanè ac scitu digna. Locus in qualibet triremi honoratissimus prora est. In hâc cubiculum eminet ornatissimum variis coloribus auroque depictum. Remi omnes affabrè confecti, puppis & antennæ multâ etiam curâ elaboratæ. In remigando tanta industria, vt ad bacillorum numerosè sonantium pulsum, procedant simul, aut subsistant, retrogrediantur aut progrediantur, & quidem tanto consensu omnes, vt quoties plures simul aguntur, vna vix antecedat aliam vno palmo. In triremibus autem regiis (quas viginti tres aliquando numeraui cum Rex in earum mediâ veheretur) Carbasina erant vela, opere phrygio,

phrygio diſtincta : Funes omnes quibus illa vel tollebantur vel demittebantur ſerici erant purpurei coloris. Dùm autem ſecundæ fauent auræ vela explicant remis quieſcentibus : interdùm velis & remis velociſſimè incedunt. Imò etiam in conſpectu Regis,certare inuicem ſolent de celeritate, quæ victrices ſunt magnis præmijs donantur. Sed ea tamen certaminis lex eſt, vt ſi quem contigerit remum, vehementiori aquæ pulſu confringere;ſi tamen modulate ſemper ad ſonitum bacillorum pulſauerit, is optimè remigaſſe cenſeatur, & præmium præ alijs accipiat à principe.

Denique mirum eſt quantâ celeritate triremes adſint expeditæ ad obſequendum,quoties Campanæ ſono conuocantur. Vix enim datum eſt ſignum, paratæ ſtatim cernuntur ſtare in officio ad quod deſtinantur. Ac licèt ſua cuique in portu ſtatio ſit, momento tamen videas illas omnes egredi, & ſuo quamque loco ſtare accinctam ad imperata facienda. Et hactenus de triremibus.



Regis Tunchinenſis potentia & diuitiæ.

CAPVT VI.



XIMIAM Regis huius potentiam nihil æque commendat, & vicinis circunquaque populis reddit formidabilem, ac incredibilis hominum frequentia quibus abundant Prouinciæ ſeptem Imperio ipſius ſubditæ. Hæc autem quanta ſit vel ex vnâ Regiâ vrbe non eſt difficile conijcere. Ampliſſima

enim illa est; patetque tum in longitudinem tum in latitudinem sex milliarium; pulcherrimis vbique distincta vijs, adeóque capacibus vt duodecim equites possint per eas vnâ ingredi. Quibus tamen diebus apud eos festa celebrantur, bis quolibet mense, in nouilunio videlicet & plenilunio, tanta per vicos illos omnes, & compita populorum multitudo confluit, vt per ea progredi sine anteambulonibus, nemo, nisi incommodissimè possit. Cum ergo id ego cernerem, statuebam esse in illâ ciuitate, capitum omninò decies centena millia.

Aliud autem prætcrea ducere solebam immensæ huius frequentiæ argumentum. Vulgaris enim apud istas gentes mos est, vt bolos quosdam saporis exquisitissimi, conficiant ex folijs & fructibus certarum arborum (vocant ipsi *Blaü caü*) eosque semper paratos seruent. Ac nobiles quidem, & primarij famulos domi habent eius artis peritos, qui scitissime illos componant & condiant dùm autem domo egrediuntur marsupium aut sacculum omnes deferunt huiusmodi bolis plenum, vt amicis obuiis aperto, inter salutandum, marsupio eos offerant in signum amoris & fœderis. Quia verò non omnium est habere domi seruitia quæ hoc munus præstent, propterea multi sunt qui publicè in compitis diuendant huiusmodi delicias, numerabantur autem in solâ curiâ (vt certo audiui) horum opificum millia plus quam quinquaginta: vt videas quanto major esse debeat numerus ementium.

Ex hâc tantâ populorum frequentiâ duo potissimùm commoda Rex percipit, primum est quod ingentes nullo negotio conficiat exercitus. Nam præter eos quos semper sub signis habet facillimum illi est, si qua ingruat

gruat necessitas, centum millium copias conscribere. Id quod etiam sæpè facit, nam quo tempore in has ego primùm terras veni, proficiscebatur cum delectis cohortibus aduersus Regem Cocincinæ, in quibus censebantur militum centum viginti millia. Quæ tanta multitudo etiam tunc illi obfuit, quippe cum tantis fretus copijs existimasset breui tempore debellari posse Cocincinensem. Resistente illo diutiùs, quàm sperauerat, re infectâ postea redire coactus est. Alterum præterea è tam populosa gente commodum Rex colligit, incredibilem vim pecuniarum. Nam exceptis paucissimis quos regni leges eximunt, omnes planè viri, ab anno ætatis 19. ad sexagesimum, annuum Regi tributum pendunt. Sed eo tamen ordine, vt tribus illis Prouincijs, quæ semper steterunt in fide, tantùm singuli persoluant, quantus apud nos valor esset aureorum duorum. In Prouincijs verò illis quatuor quæ à Rege defecere quadruplò plura exigantur, in pœnam perfidiæ, ob quam plurimis etiam sæpè oneribus vexantur.

Et quidem, tributa hæc omnia, capitatim sic imponuntur, vt nihil nisi personas spectent, tantundem enim à pauperibus exigunt quantum à ditioribus, adeo vt qui nihil habeant præter manuum laborem, ad ea etiam paranda vectigalia vxorum, & familiæ totius operâ iuuari debeant. Deinde præter certa hæc & stata munera, persoluuntur etiam alia quædam è terræ frugibus, modica omninò, & arbitraria; quæ tamen nemo prorsus ausit omittere. Offeruntur porrò singulis annis ter aut quater, ineunte quidem anno semel; deinde in natali Principis posteà in anniuersario Regis defuncti, ac demùm quando nouæ colliguntur è terrâ fruges. Verùm

ea dona non singuli homines offerunt, sed in commune pagi omnes, ideoque deliguntur præfecti è primarijs, qui hæc à singulis exigant & totius postea pagi nomine deferant ad principem. Nunc horum pagorum quantus sit numerus, descriptum ego quidem habebam in catalogo, quem postquam in manus Hollandorum incidi, cum aliis pluribus scriptis meis periisse dolui. Sed ex eo tamen quod subijciam colligi poterit. Ex illis pagis quos dixi, nonnulli tributa pendunt immediate ipsi Regi, alij vero ducibus de regno, ac de principe bene meritis. In præmium enim virtutis, & rerum recte gestarum huiusmodi oppida cum iure tributorum Rex attribuit, quibusdam plura, aliis pauciora. Sed ea tamen inter ipsos lex est, vt huiusmodi ius patre moriente ad hæredes non transeat, nisi nouo Regis diplomate confirmatum fuerit. Imò & ei cui viuenti concessum illud est auferri potest, præsertim si graue aliquid crimen contraxerit. Vnum ego memini me baptizasse cui donata iam erant à Rege oppida quatuor supra quinquaginta: ijs autem qui cognati, aut affines sunt Regis concedi solent, etiam longe plura. Denique qui huiusmodi habent pagos sæpius quot annis plurimam auri argentíque copiam Regi deferunt. Sin verò aliquis in ijs donis esset parcior, eum Rex concesso statim munere spoliare posset. Cum autem duces illi numerentur ad minimum mille colligit omninò Rex etiam ex ijs immensam quandam vim diuitiarum.




Tunchinensis militiæ stipendia, & ordines.

CAPVT VII.



VEMADMODVM ducibus (vt dixi) dantur à Rege vrbes & pagi, vt præmia laborum; sic militibus saltem primariis, in stipendium concedi solent, sed pauciores quam ipsis ducibus. Cum enim vni sæpè duci plures concedantur, tùm pluribus militibus alendis vnus interdum sufficit. Imò & militibus gregariis duces ipsi vt plurimùm, persoluunt stipendium Regis nomine, accipiúntque ab ipso Rege oppida, cum huiusmodi onere, vt designatus militum numerus alatur tunc autem illi milites, ita sunt in potestate ducis,vt dum vacant à bellis semper tamen vtili aliquo labore occupentur domos enim extruunt; triremes reficiunt, vt vix vnquam illis liceat esse otiosis.

Quia verò præfecti omnes militum, & duces quotquot in vrbe Regiâ versantur quotidie semper tenentur matutinis horis venire ad Regem, eumque comitari dum egreditur ad ius dicendum. Sic etiam milites suo semper duci eodem tempore præsto sunt, & cum eo ad Regem veniunt, redeuntque, pulcherrimo sanè ordine ac ornatu coloris violacei. Deinde quoties ex vrbe Rex egreditur, vel voluptatis causâ, vt remittat animum à curis, aut ad nouas triremes probandas aut ad milites ipsos varie excercendos (quod bis quolibet mense fieri vidi) tunc Regi adsunt duces omnes cum suis singuli cohortibus, nec ab eo discedunt donec in



palatium redeuntem eodem ordine ſtipauerint. Sed neque vnquam prodit Rex in publicum quin eum partim præeant, partim conſequantur plures equitum turmæ, imò & elephanti centum, adeo proceri, & validi, vt in turri, quæ ſupra dorſum ipſorum eminet ſex aut ſeptem homines vehantur; præter ductorem ipſum qui collo inſidet: ſolent autem huiuſmodi feris plerumque deferri Regiæ vxores, & cognatæ cum toto famulitio.

De lucta verò militari, quando incidit mentio; ſemel ad eam inuitatus à Rege, obſeruabam eum quem aduerſarius in terram dejecerit, nondum cenſeri ſuperatum, quandiu adhuc pronus eſt; aut incumbit in latus. Tunc autem dici planè debellatum, poſtquam vtroque humero terram premente, ſupinus eſſe cogitur.



Militum Tunchinenſium diſciplina & moderatio.

CAPVT VIII.

IN hâc tantâ, tamque multiplici militum copiâ, vnum mihi ſanè mirabile viſum eſt, annis illis duodecim, quibus verſatus ſum in his regnis. Licet tam diuerſis illi ducibus pareant, quotidiéque conueniant in regiam, & toties prodeant in campum, vbi ab ipſo Rege, aut ducibus ad epulas inuitantur: nullas tamen vnquam audiui rixas exortas eſſe, neminem ab altero ſauciatum quod profectò Chriſtianos omnes

omnes milites pudore afficere debet, quos ethnici ac barbari tanto interuallo ſuperent: id autem ego ſolebam referre partim ad innatam gentis vrbanitatem, partim ad eximiam obſeruantiam erga Regem & duces. Nam Regem quidem tam religiosè venerantur, vt eum cœli filium prædicent, datumque à deo vt eos regat. Ideoque nihil vnquam audent committere, quod ſuſpicentur moleſtum eſſe poſſe Principi. Quæ religio tanta ortum duxiſſe videtur à ſuperſtitiosâ ceremoniâ, quæ quot annis vſurpari ſolet in hunc ferè modum.

Sub initium ſextæ lunæ quæ in noſtrum ferè Auguſtum incidit, conuenire iubentur milites omnes, cum tribunis, atque ducibus, ad obligandam nouo ſacramento Regi fidem. Eriguntur in præcipuis vrbis Regiæ compitis, altaria tutelaribus regni dijs, magnificéque conueſtiuntur, appenditur in illis, ſolemnis iuramenti formula majoribus conſcripta litteris: Et quidem iuſtiſſima, quatenus Regi fidem & obſequium pollicetur, ſed iniquiſſima quod teſtes, & vltores ſceleris inuocet dæmones, ſi fides ea violetur. Ad ſingula erg[illegible] altaria, ſinguli adſtant Doctores excepturi iuramentum. Atque vt vnâ die tanta illa militum copia iuramentum commodè præſtare poſſit, multa etiam eriguntur altaria, & in quolibet aliquot duces cum cohortibus, à quibus hoc officium ritè perſoluitur. Iurant autem omnes in hunc modum. Sacramenti verba primus omnium Dux pronunciat, deinde milites cohortis ipſi ſubditæ clariſſimâ omnes voce. Attenditque interim Doctor delegatus, quâ voce ſinguli formulam enuncient; atque ijs quidem quorum vox clara, & diſtincta fuerit ſchedulam tribuit approbantem cum nota *Min* ideſt clare: ſin

aliqui

aliqui balbutient linguâ, vel timide verba ſacramenti efferant illis in ſchedulâ ſignatur nota *batmin*. Ideſt minimè clare, ac demum quorum vox mediæ cuiuſdam claritatis fuerit, inſcribitur eorum ſchedulæ vox *Thuan* hoc eſt ordinariè.

Neque verò inanes ſunt hæ notæ abſolutâ enim cæremoniâ ſinguli ſtatim ducem ſuum adeunt, offerentes ſchedulam. Accipiúntque ab eo veſtes Regijs impenſis paratas. Sed quibus ſchedula ſuffragium claritatis dederit, optimæ dantur ampliſſimæque, breuiores alijs & contractiores prout ſua cuique fauerit ſchedula: dignoſcunturque toto deinde anno, ex veſtibus, quam quiſque laudis, aut approbrij notam in præſtando iuramento tulerit.

Non omittam referre hoc loco, quod memini contigiſſe vni è militibus qui Chriſtum in baptiſmo profiteri cœperat. Ille cum ad prophanum hoc ſacramentum citaretur cum ſocijs, acceſſit intrepidus; deſpectoque ſuperſtitioſo altari, cõuerſus ad Doctorem qui præerat, omiſsâque vulgari formulâ in hæc verba iurare cœpit. Teſtem inuoco verum cœli terræque Dominum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, cœleſtes omnes ſpiritus & curiam cœli vniuerſam, fidelem me totâ vitâ futurum Regi meo *Thaüdo Vvan* ſic ſanctè ſpondeo ac iuro. Sin mentior vlciſcatur ſtatim facinus hoc verus cœli terræque dominator exercitus ſuos omnes in meam perniciem emittens. Hæc bonus miles alacri & ſonorâ voce. Quod præſidi tantoperè placuit, vt primariam ab eo notam ex templo retulerit. Et hæc de militiâ quàm ſatis.

Politica



Politica Tunchinensium gubernatio.

CAPVT IX.



CVM olim iſtud regnum portio quædam fuerit Imperij Cinarum, illius etiam gentis legibus diù ſtetit. Poſtquam autem excuſſere iugum, pauca tamen circa illas mutarunt, atque duntaxat ea quæ ad Regem ſpectare viſa ſunt. Poteſt enim ille nunc ad nutum omnia decernere; ſed in grauioribus tamen negotijs, delectos habet conſiliarios quorum ſuffragia exquirit; adeo vt ad ipſos prouocare liceat è Prouincijs, ſed ab ipſis nulla ſit vlterior appellatio. Singulis porrò Prouincijs, vnicus conſtitutus eſt gubernator, cum poteſtate iudicandi de cauſis etiam capitalibus; ſed vbi tamen à Regiâ vrbe propius abſunt, huiuſmodi omnes cauſæ deferuntur ad conſilium regium, cuius ſolius eſt damnare capitis reos.

Cæterùm in Prouincijs duo vidi eſſe genera gubernatorum. Primùm eſt litteratorum quorum eſt explicare leges & *Van* nominatur: togati illi ſemper incedunt & ſine armis. Quoties Regem adeunt, violacea illis eſt veſtis, aliàs nigra; pileo præalto & ſemper nigro capita tegunt: alterum ducum militarium quod appellant *Vv*, illos nefas eſt eſſe ſine armis, deſumuntur ex primaria nobilitate, quippe vel præcipui exercitus præfecti, vel totius regni principes quales ſunt filius aut frater Regis. Sed ijs ſemper vnus è doctoribus adjungitur, cuius conſilio gerantur omnia.

Adhæc præter gubernatorem illum ſupremum, ſunt

D etiam

etiam in quâlibet Prouinciâ duo tribunalia quorum authoritas in totam extenditur Prouinciam. Vnum *gnati* dicunt, ſuperius, & cauſas grauiores dijudicans, alterum *gna huyen*, decernens de minoribus. Vtrunque non conſtat viris niſi litteratis. Denique præter duplex illud ſubſellium, tria ſunt alia minora tribunalia inuicem ſubordinata: eorum infimum ſingulis pagis proprium eſt conſtatque ſemper ex antiquioribus cuiuſque loci accolis, qui dirimunt ciuiles controuerſias inter ciues ipſos exortas, ab eo prouocare licèt ad aliud medium tribunal, quod dicitur *gna huyen*, & conſtat ex decem aut duodecim oppidis quæ vocantur *huyen* ijs enim præſidet vnus aliquis horum pagorum præfectus, dictus propterea *Cahuyen.* Et rurſus ab iſto prouocatur ad alterum iudicem ſuperiorem quem vocant *Caïphu*, à quo non eſt euocatio niſi ad vnum è communibus Prouinciæ tribunalibus.

Ad ſtatuendas porrò tam multiplices iſtas exedras iudicantium, video coactos eſſe Tunchinenſes, ob ſingularum Prouinciarum amplitudinem, eas ſi quidem diuiſere primùm in plura membra, quæ vocant *Phu.* Præeſt illis ſemper aliquis nobilium quem noſtris comitibus aut marchionibus comparari poſſe arbitrabar. Subdiuiditur *Phu* in plures *huyen*, quorum præfecti Baronibus noſtris reſpondent poſtremò diuiditur *huyen* in plura *Xa* quorum præſides *Caï xa* nominatos poſſumus conferrè cum ijs apud nos qui oppidi alicuius Domini dicuntur: ſed eo tamen ab illis differunt, quod in locum mortui parentis non ſuccedat filius. Imò & Prouinciarum gubernatores ſingulis vt plurimum mutentur trienniis.

Doctorum



Doctorum apud Tunchinenses solemnis inauguratio.

CAPVT X.

QVONIAM soli vt nuper dixi Doctores, assumi à Rege solent in consiliarios & iudices, ideo magni fieri solet hic honoris titulus, & magnis adhibitis cæremoniis tribui, quarum præcipuas obiter hic attingere non erit iniucundum. Primùm igitur examina tertio quoque anno, solemni ritu indici solent ad quæ conuenire properant omnes illi, qui satis doctrinæ se cōfidunt esse assequutos studendo. Fiunt illa intra Regiæ domus septa, & præsente ipsomet *Büa*. Ibi autem varia parantur cubicula pro numero eorum qui ad examen concurrêre. Singuli enim singulis clauduntur cubiculis, statque ad custodiam singulorum miles vnus, qui ministret scribenti necessaria, & præsertim inuigilet nè à quoquam in re litterariâ iuuetur: datur autem cuilibet scribendi argumentum à doctore constituto; clauditurque statim conclaue, neque illi fas est libros deferre, sola permittitur charta pura, cum atramento & penicillo; compositioni dies integer conceditur quâ finitâ, chartam recipiunt doctores sine nomine scribentis sed, speciali notatam signo, vndè illè dignosci postea possit qui præsidum iudicio probatus fuerit, istatim fillet baccalaureus, cum honorificis patentibus à *Büa* ipso subscriptis, & sigillo eius munitis. Atque illi deinceps per

totam vitam, dimidia tributorum pars remittitur. Idque primum examen eſt, à quo ſubeundo nemo vnquam excludi ſolet. Aliud autem poſtea examen celebratur non diſſimili quidem formulâ. Sed ad illud ij duntaxat admittuntur qui facti fuerint antè triennium baccalaurei quiſquis in eo probatus fuerit, gradu donatur licentiati, *huancon* ipſi nominant & cum eximio doctrinæ teſtimonio dimiſſus, ab omni deinceps tributo liber manet, & ex huiuſmodi hominibus aſſumuntur poſtea iudices minorum tribunalium etiam in ipsâ vrbe Regiâ.

Denique tertium vltimo loco & celeberrimum examen inſtituitur, eorum qui poſtquam licentiati fuerint per triennium, canditati ſunt doctoratus. Sed quia certus apud eos Doctorum eſt numerus, non continuò his inſignibus ornatur, cuius doctrina in hoc examine probata fuerit. Expectatur enim donec in alicuius demortui locum ſufficiendi ſint alij. Nam tunc ſeliguntur excellentiores, reliqui ad triennium ſequens differuntur, & interea delegantur à Rege ad varia tribunalia per Prouincias.

Ad illum vero ſupremum doctoratus gradum qui admiſſus, fuerit huic ſtatim ſumma regni ornamenta deferuntur. Conceditur enim tum ipſi tum eius filiis omnimoda immunitas à tributis. Adhibetur ad grauiſſima regni negotia, ex his tertio quoque anno aſſumuntur qui ſolemnem legationem obeant ad Cinas ex his qui primarias iudicantium ſedes occupent;ac tanto demùm apud Regem in honore ſunt, vt neminem illi vnquam aſſidere viderim præter vnum aliquem è doctoribus. Quartus demum iſque omnium maximus dicitur olim fuiſſe

fuisse litteratorum gradus; sed ille iam pridem abrogatus est. Porrò hi populi tantùm cinicis litteris tribuunt, vt summi iuxta & infimi, filios ab prima pueritiâ in ijs erudiant, vix vt quemquam inuenias, qui earum sit omninò imperitus.



Quo pacto facinorosi à iudicibus plecti soleant.

CAPVT XI.

DIxi de iudicibus, nunc de iudicijs quæ ipsi exercent pauca subijcio, ac primùm in huiusmodi causis si sint capitales vix vllæ adhiberi solent scripturæ. Nam vbi primum aliquis accusatus est de crimine, ad iudicem illico deducitur interroganturque coram ipso testes, qui si reum conuicerint, nihil expectatur aliud, sed conuersi ad eum iudices exquirunt, num supersit aliquid ipsi ad defensionem. Si superesse dixerit, custodiendus traditur vni cohorti militum vt magis liquere possit de crimine. Sed innectuntur interim eius collo ligna duo crassa & oblonga in modum scalæ, quæ supra humeros æquali pondere librata, pluribusque hinc inde bacillis compacta, miseri hominis caput & collum sic constringunt vt ab ijs expedire se nullo modo possit. Neque apud istas gentes, aliud compedum genus est; quod ipsi etiam sæpe reo quando est pauper commodum esse solet. Non enim verentur custodes huiusmodi vinculis innexos producere in publicas plateas ad stipem erogandam. Quo fit vt in carceribus vix vllus vnquam careat

rebus necessariis ad vitam. Mulieres si criminis alicuius reæ factæ fuerint, alio modo coëcentur. Funis enim in earum collum inijcitur, cuius vtraque pars per totam ligni oblongi & perforati longitudinem sic ducitur, vt vna ligni extremitas collum fœminæ premat; ex altera duæ illæ funis partes emineant quibus misera mulier velut canis trahitur, & rapitur etiam ad supplicium.

Postquam de alicuius crimine omnino constat siue per testium affirmationem certissimam, siue per confessionem ipsius rei. (Solet autem illa extorqueri per genus quoddam torturæ valdè moderatum (tunc inquam iterum sistitur iudicibus, qui rursus omnes eunt in suffragia, atque ijs finitis sequitur sententia. Si capitalis illa non fuerit, mandatur siue mora executioni. Vt si latro prima vice furti leuioris conuictus fuerit, præscinditur ei dextræ manus index, si rursus in simile crimen inciderit damnatur capitis; eodémque supplicio mulctatur quisquis furatus fuerit summam aureorum centum, & quisquis in siluis exercuerit latrocinia.

Cum ergo iudicum sententia morte aliquem damnauit, ducitur mox miser in carcerem à cohorte, cuius præfecto demandata est executio sententiæ, quæ ad vesperam semper reijcitur. Medio autem illo interuallo, cuilibet permittitur adire ac solari moriturum: ad eum enim cuiuscunque criminis compertus fuerit; veniunt vxor & cognati omnes, conanturque pro virili omnes condolere afflicto. Porrò supplicium apud eos vsitatissimum, est capitis præcisio in hunc maximè modum. Horâ post meridiem quartâ rapi solet ad condictum locum, reus scalam adhuc baiulans, stipante militum

litum integra cohorte, ac duce ipſo præeunte. Ad feralem illum locum vbi deuenere, ſcalam detrahunt milites, menſamque apparant lautiſſimè, inde ad epulas inuitant moriturum. Sed vix quiſquam in eo articulo inueniri ſolet cui non diſpliceant oblatæ deliciæ. Remouetur deinde menſa; datur ſignum à duce, pulſato lugubrem in modum grandi tintinnabulo: tùm à milite ad id deſtinato eximitur machæra, humilíque corporis inclinatione, ad quatuor orbis terræ partes factâ, caput demetitur vnico ictu. Statimque cadauer ſepeliendum traditur cognatis, niſi fortè ob criminis atrocitatem, Rex iuſſerit, vt aliquot diebus inſepultum proſtet in loco publico quod raró euenit.

Sin alicui Rex capitis pœnam remittat (vt ſæpè facit) iubet tamen ei capitis loco abſcindi comam. Itáque deinceps capite ſemper abraſo viuit; vt nimirum, neque ſceleris neque beneficij illi excidat memoria. Deinde vero vt intelligat totam vitam ſe debere impendio obſequio Regis, à quo illam accepit.

Denique vt finis ſit, hoc ſanè in regnis iſtis duobus Tunchini, & Cocincinæ maxime proprium eſſe aduerti, vt nemo adulterij conuictus ſiue vir fuerit ſiue fœmina, mortis vnquam ſupplicium euadat. Vbi enim manifeſtò tenetur crimen, rapitur in campum reus, vbi parati adſunt elephanti, ad repetendam hanc pœnam eruditi. Datur vni eorum à ductore ſignum, ille protinus, miſerum proboſcidè quaſi manu in aërem leuans, in ſublimè proijcit, & cadentem acutiſſimis dentibus exceptum trafigit ac demum ægrè animam agentem pedibus proculcat, diſcerpítque miſerum in modum. Eóque mortuo idem abſque morâ de complice ſceleris ſupplicium ſumitur.

Terræ



Terræ Tunchinensis fructus præcipui.

CAPVT XII.



AMETSI nullæ hactenus fuerint in Tunchinensibus terris vites, nullum adhuc frumentum in eis seminatum, nullæ adhuc oliuæ; atque adeo careat prorsus hoc regnum tribus illis quibus stare maximè videtur vita frumento, vino, & oleo, atque non conueniat in eos illa psaltæ Regij benedictio à fructu frumenti, & vini, & olei multiplicati sunt. Alia tamen habent non pauca, non solùm ad necessitatem sed etiam ad delicias quibus hunc defectum abundè suppleant.

In primis autem plurima ibi est Oriza, ex quâ panem optimum conficiunt venditurque viliori pretio quam apud Cinas; eoquod bis quolibet anno seratur & metatur, mensibus nimirum Iulio & Nouembri distillatur etiam & liquatur in quendam humorem stomacho mirè vtilem, & gustatu in primis suauem. Nullum illi quidem ad iuscula & edulia oleum adhibent, sed eius loco habent pretiosissimos. quosdam passerum Nidos, quos inueniunt in rupibus præsertim maritimis reperitur intra eos liquor plurimus qui mixtus esculentis, incredibilem eis confert suauitatem. Neque putauerim eos vsquam terrarum inueniri nisi apud has gentes, à quibus externi mercatores præsertim Cinæ maximo pretio coëmunt. Hoc autem condimenti genus quod sit pretiosissimum non est in vsu, nisi apud primarios.

Vulgus

Vulgus ad obſonia humorem exprimit è quibuſdam piſcibus, qui eis inſtar aceti eſt, & olei, cibiſque infuſus non parum aſpergit ſuauitatis. Appellant ipſi *Mam*, ſine quo nemo etiam plebeius cibum vmquam ſumit: Nunc vt veniam ad fructus proprios huius territorij. Primùm quidem de ijs quæ cum Indiâ totâ, communia illi ſunt nihil ponam, qualia ſunt, indicæ Ficus, Pyra indica, Ananaſia, Iaca Caramboba, Manga, & alia innumera quæ ab aliis ſcriptoribus ſæpè ſunt explicata. Præ cæteris autem excellere mihi viſa eſt mali aurei pulcherrima quædam ſpecies, omnibus aliis ſine dubio præferenda quas ego in aliis terris me videre memini, ideoque fortaſſis coronam habent, non ad inanem ſolùm ſpeciem aut pompam, qualis eſt in malis punicis, ſed dulciſſimo & exquiſitiſſimo ſucco plenam, prominet quippe in modum mammæ, fructumque magnopere exornat. Præter eam aliæ quoque multæ ſunt malorum aureorum ſpecies exquiſitiſſimi ſaporis ſed priore tamen illa longè inferioris, in ijs nihil eſt prorſus, quod reijci debeat præter externam quandam pelliculam aurei coloris, reliqua omnia, etiam internæ pelliculæ adeò ſunt dulcia, vt putes vuas te guſtare mellitiſſimas. Imò & aliud mali aurei genus eſt prægrande, è quo non tota detrahitur pellis quæ craſſior eſt; ſed modica tantùm eius ſuperficies, reliqua omnia ſapidiſſima ſunt,&malo noſtro perſico ſimillima niſi quod longè ſalubrius eſt; poteſt enim facilè quilibet ex ijs decem aut duodecim comedere, ſine vllo diſpendio. Abundantia verò tanta eſt vt viliſſimo pretio vendantur: denique vt concludam de malis aureis, vltima eorum ſpecies longè pretioſior eſt & rarior. Sapor ijs

E apianis

apianis nostris vuis simillimus moles magna, salubritas longè maxima vnde magni etiam væneunt, & locupletioribus tantùm vsitata propter caritatem, & raritatem.

Aliud præterea mali genus est aurei coloris, sed figurâ, mole, teneritudine persico nostro haud absimile sapore sorbis bene maturis fere pari. Aduersus dissenteriæ morbum præsentissima medicina est, non ipse solum fructus, sed cortex etiam, & folia ipsius arboris. Adhęc duo quoque sunt fructuum genera quorum cortex durior est, color candidus, figura quasi cærasi, ex his liquor exprimitur vini suauissimi, qualè illud est quod Cinæ *Lechi* nominant.

Denique aliud genus est fructuum ficubus nostris simillimum, rubrum tamen postquam maturuit, tenerrimum, & dulcissimum, sed perfrigidum: etiam quo tempore adhuc est viride iucundissimum gustatu. Plantauerant nostri Patres in horto domestico arborem vnam è nostratibus, ex qua ficus aliquas Rex Tunchinensis postquam degustauit, laudauit eam eximie, iussítque in hortum suum transferri. Sunt quidem in hac regione totâ innumeræ arundines, melle ac saccaro turgentes sed liquandi, & purificandi saccari artem homines isti non callent, est enim apud ipsos nigerrimum, sed cætera tamen optimum, & apud Iapones maximo in pretio.

Animantia



Animantia quibus abundant terræ Annamicæ.

CAPVT XIII.

POST fructus recensitos, proximum est vt de animantibus quoque dicam. Abundat ergo Regio hæc tota equis generosissimis, atque ad equitandum aptissimis; boues quoque habet plurimos, ac pinguissimos atque ad cibum maximè suaues. Suillæ carnis quotidianus vsus est; adhibeturque ad omnes mensas, quod secus quam apud nos existimetur valde salutaris. Adeo vt vix vllum etiam egentissimum inuenias, qui excepturus amicum conuiuio porcum non mactet. Bubali apud ipsos plures sunt & prægrandes, atque adeo robusti, vt ad sulcandam à ratro terram non soleat adhiberi nisi vnus: eorum caro in delicijs est. sed frequentior est vsus Bouinæ.

Elephantes maximos & fortissimos è vicino Laorum regno, magnis sumptibus comparant: Rex ipse semper trecentos alit, magis ad pompam quam ad aliud vllum commodum. Sed quoties tamen terrestre cum hostibus bellum gerit, omnium semper elephantorum agmen instruit, singulisque ductores fidissimos præficit cum maximis stipendijs ad istorum animalium pastum, quorum vni plus impenditur, quam ad alendos decem milites: sunt vero hi elephantes optimè docti ac sicures. Videas enim illos ludibundos discurrere per totam Regiam; neque vlli vnquam esse noxios imò vtilissimi sæpè sunt, in repentinis potissimum defla-

 grationibus,

grationibus quæ in vrbe Regiâ vbi domus ligneæ sunt frequentissimè accidunt: tunc enim nè latiùs serpat malum, adhibentur elephantes, qui domos incendio vicinas continuò exturbent. Id quod etiam tantâ præstant celeritate; vt quam elephanti, domum ductor indicauerit, eius tectum videas elephantis proboscide apprehensum subito corruere, cunctásque contignationes momento distractas penitus dissolui. Nunc de singulari eorum prudentiâ, & sagacitate plura scripserunt alij. Ego paucula hæc dicam, quæ sanè vidi, incedebat aliquando inspectante me supra pontem ligneum procerissimæ molis elephas; cumque vereretur tabulas haudquaquam tanto ponderi ferendo pares esse, explorabat, ac probabat singulas proboscide nùm satis firmæ esse viderentur, & siquidem, aliquas inuenisset nutantes aut minus solidas; tunc verò nullâ sui ductoris industriâ poterat adigi, vt progrederetur; sed diuertebat alio gressum, vbi tutiora essent omnia.

Alium quoque aliquando videbam in publicâ plateâ vinctum, quem puerorum turba importunè lacessebat, & lapidibus petebat. Sed ille vicissim lapides quibus erat percussus proboscide quasi manu arripiens, atque occultans, expectabat dum aliquis puerorum qui aufugerant, denuo rediret; simul enim temere aliquis prodierat, vibrabat elephas tanto impetu lapidẽ, vt graue infligeret vulnus nisi maturâ fugâ ictum præuerterent.

Abundat prætereaRegio tota Rhinocerotibus (*Badu* Lusitani vocant) vnius ego recens occisi caput semel vidi, quod præualidi duo milites non nisi ægerrimè portabant. Erat autem haud dubiè duplò majus capite maximi elephantis. Carnis eius frustulum degustare aliquando

aliquando coactus ab amicis, tam ſuauem illam, & gratam expertus ſum, vt nihil vnquam meminerim me deguſtaſſe dulcius,& palato iucundius; ſuperabat enim profecto volucrum omnium carnes ſaporis ſuauitate. Dicitur nihil eſſe in eo toto animali, quod aduerſus plures morbos præſentiſſimum non ſit remedium. Carnes quippe, pelles oſſa, ſuam habent ſalubritatem. Sed vnguium, dentium, cornuum præcipuæ quædam, & omnino eximiæ virtutes celebrantur.

Syluestres quoque quoſdam feles, colore nigerrimos, mole admodum paruos maximi faciunt: cenſentque præſtantiſſimum illud eſſe, ac dignum Rege munus, quoties venando eorum aliquem capi contigerit. Capras habent paucas, oues omnino nullas, ſed neque aſinos quorum loco vtuntur Bobus, aut etiam Bubalis quoties onera grauiora fuerint quæ vero communiora ſunt ea plebeij tum viri tum fœminæ vectibus impoſita humeris deuehunt.

Volucrum omnis generis incredibilis copia eſt prȩſertim gallinarũ quas viliſſimo vendunt pretio gallos autem quoſdam duplo noſtris majores præcipue habẽt in delicijs, venduntque interdum decem aut etiam duodecim aureis,ex eis enim ludicrum quoddam certamen inſtituunt, ad quod gladiolis eos obarmant, & ad omnem certandi diſciplinam egregiè inſtruunt: Columbarum infinita quidem multitudine abundant. Sed turturum tanti ſunt globi vt quindecim ex eis, Iulio vno noſtro, vix vendi ſoleant.

Piſces præſtantiſſimos,& quam plurimos alunt Maria hæc & flumina,eos tam vili æſtimãt,vt ſæpè videas piſcẽ librarum duodecim vix cõſtare vno Iulio. Sunt enim in

his oris portus minimùm quinquaginta, è quibus innumeri cum Scaphis, quotidie piscatores prodeunt: existimauerim ego diebus singulis exire ad piscandum è portubus illis Scaphas decies mille, nulla quippe ars in maritimis terris est frequentior quam piscatroria. Vnde communior etiam eis cibus est piscis cum Oriza.

Interrogauit me aliquando Rex quibusnam cibis Christiani vescerentur diebus illis quibus ieiunant. Vbi autem ex me audiuit, non interdici nobis esu piscium Ain ? tu vero (inquit subridens) habebis igitur in hoc regno meo innumeros, quos ad ea ieiunia tua facile inducas. Cælibem vero illam vitam tuam quam deprædicas, qui amplecti velit, arbitror sanè fore neminem. Ita ille, cui videlicet nota nequaquam erat fidei Christianorum gratiæque diuinæ vis eximia, quam deinceps in hoc regno experti quamplurimi, omnis ætatis viri ac mulieres, angelicæ puritatis æmuli, vitam duxere incontaminatam. Vidi ego, ex his catechistas centum qui solemni sacramento se ad hanc cœlestem viuendi formulam deuouerint quorum etiam tres fuso propter Christum sanguine duplici virginitatis, & martyrij Laureâ insigniti sunt. Primus eorum in Cocincinâ, fuit Andreas adolescens annorum nouendecim, Cui ego tam generosè morienti adfui die 26. Julij anni 1644. eximiæ constantiæ adhortator & admirator.

* *
*

Tunchinensium



Tunchinensium mercimonia.

CAPVT XIV.

FRequentiſſima illa quidem ſunt, ſed ita tamen vt intra fines Annamicos omnes exerceantur, ad exteras vero gentes nequaquam prodeant, cuius rei tres ego cauſas eſſe ſuſpicabar. Prima eſt imperitia nauigandi, vix enim vnquam in altum mare audent vela facere, ſed amica ſemper legunt littora. Altera quod onerariæ ipſorum naues, ad ingentes procellas ferendas non ſunt idoneæ. Illarum quippe tabulæ non ferreis, ſed vimineis ſolum compactæ ſunt ligaturis, renouaríque debent quot annis. Tertia demùm quod Rex ne tributis illis priuetur quæ capitatim exigi ſolent, ſeuerè mercatoribus prohibeat egreſſum ad oras peregrinas tametſi Rex ipſe non rarò in vicina Siam & Camboïæ regna, naues mittat onuſtas mercibus.

Sed intra eos nihilominus fines regni Annamici, quod vti (dixi) Tunchinum complectitur & Cocincinam, tam opportuna, & frequens eſt negotiatio, propter portuum multitudinem vt mercatores bis aut etiam ter in anno, ſummam capitalem pecuniæ duplicare abſque periculo ſoleant. Cum enim ad octingenta circiter milliaria littus illud pateat, quinquaginta minimùm portus habet, vbi tutiſſimam naues ſtationem habent, adeo vt vix vnquam pernoctent in mari. Frequentiſſime tamen eo veniebant olim mercatores Iapones,

pones, & Cinæ vt lignum Aloës pretiosissimum, sericumque optimum inde asportarent, nunc autem frequentissimè huc Cinæ veniunt, ex Prouincia præsertim Cinceo, suisque mercibus implent hæc littora præsertim verò auehunt vasa illa quas vulgo Porcellanas dicimus, deinde telas etiam varij coloris. At Iapones cum multis veniebant pecuniis, ensesque afferebant, & lanceas armaque varia vicissimque sericum coëmebant à Tunchinensibus, imò & postquam cruenta illa in Christianos sæuire cœpit persequutio anno huius sæculi decimoquarto, veniebant tamen in Cocincinam Christiani plurimi, vt à Patribus nostris ibi tum agentibus, sacramenta susciperent tempore præsertim quadragesimæ. Id quod Iaponum Rex subodoratus capitali propositâ pœna edixit nè, quis è Iaponiâ nauigaret ad gentes exteras. Imò, & nè vllus sacerdos iam initiatus clam cum aliis surreperet. Interdixit reditu in patriam ijs omnibus qui tunc extra Iaponiæ fines agerent. Ideóque annis iam viginti quinque Iaponico auro carent Annamici, & majori etiam cum dolore Iapones sacramentis priuantur, & Christianis aliis subsidiis quibus iuuabantur in Cocincina.



Tunchinenses Monetæ.

CAPVT XV.

CVDVNTVR ex ære monetæ omnes, tum apud Tunchinenses, tum apud Cinas aurum enim & argentum adhibent illi quidem ad majora, & grauiora mercimonia sed ea tamen nunquam signant,

neque

neque conflant in monetam. Frusta duntaxat quædam metalli vtriusque, fusili arte præparata in vsu habent, & argentea quidem crassiora sunt, æstimanturque nummis decem. Aurea certam magnitudinem nullam habent, sed pro cuiusque arbitrio, alias majora sunt, alias minora. In mercatura quoties argentum offertur venditori, ante omnia mos est probare illud ad cotem, deinde ad libram ponderare: factáque dein conuentione paciscuntur quot serici pondera pro æquali argenti pondere, dari iustum sit, quindecim, verbi gratia, vel viginti pro vno. Tùm quâ libræ lancè merces ponderantur, eâdem, argentum appenditur, sed æquato iuxta factam pactionem pretio. Quod si de argenti fide dubitent, in minutissima frusta illud fas est comminuere, vt ne vllus fraudi locus sit.

Monetæ vero signatæ, quædam apud ipsos maiores dicuntur, aliæ minores. Et maiores quidem certum ac ratum toto regno valorem habent. Solentque à Cinis præsertim mercatoribus asportari, alias autem etiam à Iaponicis. Minorum, extra Regiam & adiacentes quatuor Prouincias nullus vsus aut valor est, vnde videntur non fuisse vsurpatæ, nisi à temporibus, cum tyrannus ille antea memoratus Regiam inuasit cum quatuor Prouinciis.

Earum omnium tum maiorum, tum minutiorum, figura semper est orbicularis politæ sunt, & quatuor signatæ characteribus, vnâ solum ex parte. In medio foramen habent, quo immitti solet funiculus; adhibitâ certâ quâdam distinctionis notâ, in singulas sexaginta. Donec decies ad sexaginta idest sexentas perueniatur.

F tur.

tur: totidem enim funiculo illo vnico colligantur: vt sic facilius quilibet brachio, aut humeris deferre possit, habeatque paratas semper, pecunias ad ea quæ velit in foro emere, nullus enim apud eos est crumenarum vsus quarum vices supplent huiusmodi funiculi, quos ipsi, *Thien*, Lusitani *Caïcas* appellant. Denique harum Monetarum pretium constans non est neque semper idem, sed pro argenteæ pecuniæ copiâ, vel penuriâ crescit aut minuitur. Vidi ego paucis ab hinc annis cum in Tunchini Regiâ versarer; dari pro aureo vno, maiores Monetas centum supra mille: æquiualent porro minoribus quinque tres maiores solebamque comparare maiores Monetas Iuliis Romanis, minores autem superant aliquanto Romanos quatrinos.



Tunchinenses superstitiones, & prior earum secta.

CAPVT XVI.



FALSÆ religiones sicuti Cinarum, sic & Tunchinensium, tres in sectas sunt distributæ, quas vocant ipsi *tam lau*, singulæ verò innumeris superstitionibus incredibiliter plenæ sunt; quibus imbutæ gentes illæ, licèt alioqui dociles, & ingenuæ, viuebant in tenebris, & vmbrâ mortis. Donec oborta eis antè paucos annos Euangelicæ veritatis lux caliginem discussit, & in dies propagata magis, plurimos quotidie Christo parit, & filios lucis efficit. Ibitque (vti benè ominamur) vsque ad perfectam diem fauente iustitiæ sole Christo.

Prima

Prima igitur inter eos ſecta *Dau nhu* dicta authorem habuit, nobiliſſimum illum Confuſium. Quem Cinæ omnes magiſtrum ingenij ac doctrinæ celebrant, feruntque illum vixiſſe annis ante Chriſtum trecentis: eodem ſcilicèt quo florebat inter Græcos Ariſtoteles, illum Tunchinenſes omnes, & Cinæ paſſim ſanctum vocitant. Sed immeritò ſanè, vt ego in frequentiſſima coronâ ſemel manifeſto quodam dilemmate demonſtrabam. Veſter (inquiebam) Confuſius ſupremum cœli terræque opificem, ac Dominum vel (vt decet) agnouit vel ignorauit ſi eum neſciuit qui ſanctitatis totius fons eſt ac principium. Sanctus ſanè non fuit, cum tota rationabilis creaturæ ſanctitas aliud non ſit, quam numinis illius ſupremi notitia & amor. Si autem cognitione illâ imbutus fuit quæſo à vobis, nunquid? eandem etiam, ijs quos ad virtutem erudiebat, tradere debuerit, cum illa primum rectæ vitæ fundamentum ſit. Cum autem ex omnibus eius libris conſtet id eum plane omiſiſſe, & de primario illo principio vitâ & intellectu prædito verbum nullum feciſſe quis? cum ſancti nomine non indignum iudicet: audiebant me ita dicentem plurimi è ſectatoribus Confuſij, Chriſtianis de more in eccleſia permixti, quorum vnus confeſtim eiurato Confuſio, Chriſti lucem ſequutus, & baptiſmo luſtratus deſiit amare tenebras. Reliqui tunc quidem rebelles lumini, maluerunt filij eſſe confuſionis; & Confuſij.

Sed in eius tamen impoſtoris libris, fateor eſſe ſanè plurima, rectæ rationi valde conſona, & ad mores optimos vtiliſſima: docet videlicet primum hominis munus eſſe, vt ſe ipſum ante omnia corripiat, cum

 ſeipſum

ſeipſum penitus introſpexerit & curauerit. Tùm verò ſecundas illi eſſe debere curas, familiæ totius rectam gubernationem, & inſtitutionem: eo altero munere poſtquam perfunctus ritè fuerit, tum demum accedere illum tuto poſſe ad rempublicam regendam. Eiuſdem generis plura ſunt alia quæ partim ad priuatam morum diſciplinam ſpectant, partim ad cauſarum forenſium doctrinam, à quibus iudices Tunchinenſes nè digitum quidem diſcedunt. Sed neque Chriſtianis noſtris interdicendum putauimus omni vſu, aut lectione librorum huius Confuſij. Habet multa de moribus hominum politicâque gubernatione noſtris inſtitutis valde affinia; quibus Chriſtiana dogmata non parum confirmantur. Ait videlicet ſuum cuique tribuendum. Aliáque huiuſmodi non pauca.

Verum vbi de ſupremo rerum Domino aliquid tanquam in caligine dicere aggreditur; incredibiliter profecto delirat. Facit videlicet illum corporeum ſine intellectu & vitâ; vnde nec vllum ei cultum aut religionem decernit ſed cœleſtibus ſolum corporibus, quorum principium fatetur eſſe numen illud inanime. Imò neque ipſi cœlo religioſam deberi venerationem, ſed eam omnem Regi deferendam eſſe conſtituit, quem etiam ſolum cõſpectu cœlorum dignum eſſe fatuè garrit. Nec enim poſſe quenquam pro dignitate cœleſtia illa ſpectacula mirari, & erectos ad ſidera tollere vultus quo nihil dici poteſt inſulſius. Cæterum ſi attentiùs tota illius doctrina expendatur, nihil in ea prorſus reperias de vitâ æternâ, & animorum immortalitate. Totum quippe hominem corpus eſſe reputat, nullam in eâ partem expertem eſſe materiæ. Sed eam omnem

interueniente

interueniente morte ita diſſolui, vt ſubtiliores partes ſurſum ferantur, craſſiores ſuopte pondere deprimantur deorſum: vt videas eam omnem ſectam in turpiſſimum vergere Atheiſmum, atque inde aſſeclas eius omnes in omnia vitia ruere præcipites, ſolâ virtutum externâ ſpecie contentos.

Tantæ verò authoritatis ac venerationis apud vniuerſam hanc gentem fuit hactenus, hic concinnator mendaciorum, vt diuinus paſſim habeatur ac diuinis etiam honoribus dignus: eius cultum lactentes etiam pueri docentur: atque omnes ad eam obſeruantiam à prima ætate imbuuntur: quippe quoties ad ludimagiſtros deducuntur pueruli ad prima Cinicarum litterarum rudimenta inſtituendi, nihil prius habet ludimagiſter quàm vt in ipſo ingreſſu gymnaſij alumno ſuo demonſtret; quibus honoribus proſequi deceat Cõfuſium procedit nimirùm ipſe ſupplex in genua, docetque preſertim quemadmodum ab eo facile ingenium ad Cinicas litteras rectè addiſcendas omnes depoſcant. Hoc autem ingenij acumen *Sangda* ipſi appellitant ideſt ventrem ſcientiæ, quod ſcientiarum omnium ſedem ſtultiſſimè putent eſſe aqualiculum. Tolerabiliùs ſanè etiam in eo errantes, quam in eo quod reputent, poſſe ab homine impio ac demortuo, viuam ac perſpicuam ingenij vim obtineri.

Sed neque Doctores aut litterati agere videntur cordatius. Qui quoties ad examina illa ſolita procedunt, nihil habent antiquius, quam vt ad Confuſium iſtum ſupplices recurrant. Cumque res ſucceſſit pro votis, eo ipſo tempore quo examinatorum ſuffragijs ſe vident approbatos, procidunt illico in genua coram

illustri arâ quæ medio in illo conclaui erecta est ipsi Confusio. Atque ita quidem ethnici, Christiani verò longè consultius, vni Domino Christo Iesu, vnico veritatis & lucis dispensatori se ipsos ac sua semper omnia committentes, & studia, & consilia, exposcunt ab eo in addiscendis litteris ingenij aciem, & de prospero euentu gratias agentes, coram sacrâ eiusdem Saluatoris imagine ter in faciem venerabundi semper procumbunt.



Altera Tunchinensium superstitionum secta.

CAPVT XVII.

POSTERIOR horum populorum superstitio *dau thu* ab ipsis vocata, dicitur inuecta, & inuenta primùm fuisse à quodam Regis Indiarum filio, quem dixere Iapones, *Xacam*, Cinæ *Xechiam* Tunchinenses nomine corrupto *Thiccam*. Viuebat is (vt Annales ipsorum ferunt) antè Christi natalem annis ferè millè, æqualis sine dubio, æuo Salomonis. Patrem illi *Thimpsam*, matrem *Mada Phugnin* fuisse putant. Is enim inquiunt Thicca septendecim natus annos, Adudalam quandam alterius Regis Indiarum filiam, vxorem habuit vixitque cùm eâ annis duobus, quibus filiam vnicam suscepit nomine *haulam* caruitque deinceps liberis. Erat autem nequissimus, & in omnia scelera proiectus, vnde facilis ei statim lapsus fuit ad artes magicas, quibus cupidissimè adhæsit. Adhoc autem duo ipsi semper aderant spiritus nequam

nequam cum quibus ageret familiariter, & tanquam Magiſtros audiret. Atque vt eam peſtilentem doctrinam hauriret facilius, ſeceſſit inſcio patre ac vxore in remotiſſimam ſolitudinem, in quâ ſe totum nequiſſimis illis dæmonum præceptis tradidit imbuẽdum. Ibique commoratus annis quinque atque ad omnem impietatem egregiè eruditus, rediјt ad ſuos, quos ad idem ſtatim nequitiæ baratrum pertrahere conatus eſt.

At illi quibus naturale rationis lumen clariſſimè oſtenderat eſſe neceſſariò aliquem humanarum rerum gubernatorem, & totius opificem mundi Deum, qui vitiis ſupplicia reponat, virtutes autem in alterâ vitâ coronet, cum neutrum in hac quam ducimus vita præſtet. Corruerunt ſcilicèt ad tam impiæ ſectæ turpitudinem, neque vllus toto regno tam perditus inuentus eſt: vt ſe illi vellet adiungere. Id quod iniquiſſimè ferens Thicca, conſultis illico dæmonibus magiſtris ſuis chariſſimis, ad alias conuerſus eſt artes, mendaciorum egregius opifex, ſtatim enim fabuloſis quibuſdam commentis, & confictis narratiunculis, & in ſpeciem non iniucundis occultare probra doctrinæ ſuæ. Hinc enim Idolorum totam genealogiam, & poteſtatem, incautiſſimis animis inſtillans, annis quadraginta propinauit venenum, totamque Indiam dementauit, duplici, vſus præſidio ad incautiores decipiendos, & Magicæ artis, & Regiæ poteſtatis.

Fingebat videlicèt, ac palam profitebatur affirmare ſe omnino alterius vitæ præmia, & pœnas, vt ſic facilius totam induceret idololatriæ improbitatem, quod & annis illis quadraginta pro votis aſſequutus eſt. Verum quia pernicioſior humano generi atheiſmus dæmoni

moni

moni videbatur, quàm Deorum etiam falsorum cultus, quod omni prorsus abiecto Deo, procliuior ad omnia facinora lapsus sit, eo impulsore miser Thicca morti iam proximus recantare omnia cœpit quæ de idolis dogmata tradiderat. Non ille quidem publicè coram omnibus quos priùs dementauerat. Sed ijs dũtaxat quos propter nequitiam nouerat fidissimos esse posse consiliorum suorum dispensatores. Illis nimirùm palam edixit totam illam Idolorum Nęniam quam simplicioribus solum animis toto illo quadraginta annorum decursu, prædicasset referendam omninò esse ad quinque hominis sensus, & singula eius membra facilius explicanda, & ad plebeculæ captum accommodatius. Cæterum vanissimam rem esse totam Idolorum turbam, nullos prorsus timendos aut colendos homini esse deos, quorum inane nomen, ingeniose à sapientioribus adinuentum esset, ad populorum terrorem, vetularum somnia hæc esse, & vana planè delyria quibus in vocibus sceleratam animam impius euomuit, atque ad inferos detrusus duplicem etiam ipse viam Indiæ toti ad idem præcipitium aperuit. Alteram rudi populo qui fabularum inani specie captus innumera idola veneratur. Alterum longè pejorem illis ipsis populi magistris, qui palam simplicioribus animis aniles has fabellas & Idola deprædicantes, & coram etiam venerantes, interius ea omnia ipsi rident, vitamque omnem futuram pernegant. Sed eo tamen fuco falsæ pietatis plebeculam emungunt, & plurimam ex ea pecuniam corradunt.

At enim quonam? inquies pacto, lues hæc ab Indijs Tunchinum vsque serpere potuit. Dignissima sanè scitu res, & diuinæ prouidentiæ decretis consona. Vixerant

absque

abſque Idolis vllis, vſque ad Chriſti Domini tempora Cinæ omnes, atque adeo Tunchinenſes qui vnico tunc Regi ſuberant. Sed innumeris tamen turpiſſimorum errorum laqueis implicati. Quorum, ſicut & gentium cæterarum omnium, miſeratus benigniſſimus Dominus, eodem ipſo tempore quo vera lux Chriſtus terris illuxit, ſicuti ab Oriente tres magos nouæ ad ſe ſtellæ aſpectu aduocauit, & in Occidente Cæſari Auguſto ſole toto amictus apparuit in ſinu Virginis matris. Sic etiam Cinarum Regi *han min thi* viſus eſt humanâ major ſpecie vir (vt ferunt Annales illorum temporum à Cinis ipſis conſcripti) & præcepit, vt è magni Occidentis partibus legem exquireret, vbi recens orta eſſet è cœlo lux in totius orbis ſalutem. Eo ſpectaculo Rex territus magnates illico conuocat, exponit nocturna viſa deque ipſorum conſilio, ſolemnem ad Occidentis plagas legationem decernit, legatoque mandat, vt in longinquas has terras impigrè properet; atque ibi veræ illius ac nouæ legis præcepta ſedulo exquirat, ac poſtmodùm in patriam exportet.

Paruit Regi legatus, magnóque comitatu terreſtre iter occidentem verſus inſtituit (nondum enim nauigandi artem callebant.) Et principio quidem nauiter, & egregiè, ſed poſtea moleſtâ longitudine viæ perterritus, & occurrentium difficultatum labore defatigatus concidere cœpit animo & cogitare de reditu ad ſuos. Cum enim poſt octo circiter menſium iter in Indias tandem perueniſſet, minimamque adhuc imperatæ ſibi viæ partem confeciſſet, in terras vlteriores progredi plane renuit. Aperuitque ſtatim Indis illis cauſam tantæ peregrinationis, exquirens ab ijs, num aliquam ipſi

haberent legem, quam Cinarum Regi nouarum huiusmodi rerum cupido deferret. Molestum sibi videlicèt esse ac intolerabile, tot adhuc terras, quæ vsque ad occidentem vltimum supererát peragrare. Immensa breuissimo compendio vitari posse pericula si ex Indijs peteretur potiùs optata illa lex, quam ex vltimi, & ignotissimi orbis oris. Nimirum pudendo improbissimi legati crimine, maxima quædam & saluberrima interuersa res est. Nam ecce tibi exiliit statim gaudio tota gens brachmanum & opportunam venditandi nugas suas facultatem nacta, inertem illum legatulum totâ illâ suâ impietate dementare incipit. Aperiuntur illi omnia videlicet Thiccæ quem ipsi Buddam hoc est sapientem appellant mysteria. Traditur liber in quo conscriptæ habebantur omnes illæ fabulæ, commendaturque vehementer tanquam pretiosissimum totius sapientiæ myrothecium.

Nihil fuit faciliùs quam amantem otij non veritatis decipere legatum, cum enim nihil nisi patriam & domesticos cogitaret hanc omnem mendaciorum farraginem auidus arripuit. Ac statim remeans ad Cinas, venit ad Regem nouæ illius legis sitientissimum, propinatque craterem aureum sed toto illo veneno plenum. Fingit videlicet egregius mentiendi artifex se multis tandem terris peragratis, atque immensis Oceani tractibus superatis, venisse ab vltimis Occidentis oris; ibique reperisse auream illam, & Deo dignam legem, quam exquirere iussus esset. Credidit subito Rex parum prudens famulo nequissimo, & nullâ inquisitione præmissâ, pestiferum virus hausit quod offerebatur; ac suis etiam populis omnibus bibendum tradidit. Hinc iam

Iam erigere Idolis vbique templa, cultum eorum latè propagare, ſequutum eſt ſine mora exemplum Regis imperitum vulgus, & ad hæc etiam tempora miſerè ſeruauit. Sed litterati nihilominùs & Doctores Idola omnia vt dixi derident, eorumque templa raro adeunt in quibus tamen, morituri plurima dona offerunt & ex teſtamenti etiam tabulis plura legant, ad vanam ſcilicet gloriæ captandam auram, & præſertim propter pompam funeris; quam cupidiſſimè curant.



Varij Tunchinenſium ritus, circa cultum Idolorum.

CAPVT XVIII.

OPTABILE ſanè fuerat vt quo tempore Tunchinenſes Cinarum Imperium excuſſerunt, defeciſſent etiam ab erroribus; ſed religionum etiam falſarum opinio vbi ſemel imbuit animos; accedente præſertim diuturnitate temporis, infixa omninò hæret, neque vlla niſi diuina vi, extirpari radicitùs poteſt. Ideoque hi populi etiam abjecto Cinarum iugo, ſicuti priorem illam Confuſij prauitatem retinuere mordicus, ſic & inolitam Idolorum venerationem non tantum retinuerunt ſed multis etiam ſuperſtitionum acceſſionibus cumularunt. Quippè templis ſic abundant vt nullus etiam viliſſimus pagus ſine aliquo huiuſmodi templo ſit. Sed illa tamen plerunque neque ampla ſunt neque multis aucta donarijs. Nam ad omnem projecti auaritiam ſacrificuli, conuertunt in ſuos

vſus, ſibíque ac vxoribus ſuis vindicant quæcunque Idolis offerri ſolent.

Verùm neque illæ Idolorum & templorum ſordes, miſeros homines abſterrent à ſuperſtitioſo eorum cultu. Bis enim ſemper menſibus ſingulis, noua videlicet & plenâ luna, luridas illas templorum exedras religiosè adeunt, puluerulentáque ſimulacra tam piè colunt, vt nemo ſit etiam egétiſſimus qui non eis ſupplex offerat aliquod donarium. Simulque illud coram Idolo ſtatuit prono in terram capite, & ſi quidem ſolus ſit precationem orditur à nomine ſuo, deinde patriam in qua natus eſt declarat. Nimirum Idolis ſuis, vſque eo diffidunt, vt putent ignorari ab eis nomina & patriam cultorum ſuorum.


Sin autem plures ſimul conueniant ad orandum. Tunc precationem omnium nomine init altâ voce, is qui habetur cæteris honoratior, tacentibus interim & orationem approbantibus reliquis omnibus. Tùm vero colligunt ſacrificuli quæcunque fuerint oblata, & collecta recondunt pro libito. Imò & templis quibuſdam celebrioribus, certa quædam aſſignata ſunt prædia, quorum ijdem (vt vocant) *Saï* fruuntur reditibus. Sed eorum tamen huiuſmodi hominum ſimul degentium conuentus ac coëtus, nullos vnquam inueni apud Annamicos. Viuunt enim ferè ſinguli ſeorſim cum ingenti vxorum, liberorum, ac famulorum cateruâ, quos omnes ad eandem erudiunt impietatem, atque illos præſertim qui falsâ quâdam religionis ſpecie ducti ſe totos Idolis deuouent. Filius in patris demortui locum vix vnquam ſuccedit, prouehitur enim ad aliquid ſublimiti, aſſumitur autem vnus aliquis è famulis, qui omnium

nium optimus iudicatus fuerit, deligiturque de iudicio ſacerdotis primarij quem vocant *Saïca*. Solent etiam ad honeſtanda potentiorum hominum funera, vocari huiuſmodi homines, qui longas pro mortuis deprecationes balbutiant, erigunt enim magno apparatu grandia in medijs compitis altaria, coëuntque circa illa plurimi, ac tota nocte inconditas quaſdam cantilenas ignoti neſcio, cuius idiomatis alternatim vociferantur.



Tertia Tunchinenſium ſuperſtitionum ſecta.

CAPVT XIX.



HÆc eſt omniũ peſſima & ſceleratiſſima quæ dæmoni prorſus deuota, tota eſt in actibus magicis exercendis. Primus eius inſtitutor, & author perhibetur fuiſſe, inſignis quidam veneficus, *Lauzu* ipſi dicunt. Tantæ apud miſeram hanc gentem authoritatis, vt ſectæ ipſius adhærere innumeri ſoleant etiam primates atque ipſe Rex qui nefarias iſtas artes palam profitetur.

Ac tametſi medicis periuſſimis abundant, ad ægrotos tamen curandos, præſertim ſi nobiles fuerint, vix vnquam eorum operâ vtuntur. Simul enim aliquis in morbum incidit, recurrit illico ad veneficos, qui ſuis eum ſortilegiis dementant, mittitur videlicet aliquis è famulis in forum, aut etiam ægrotus ipſe defertur, ibique veneficus conſulitur (proſtant enim ſemper plurimi eorum greges ad mentiendum egregiè parati) quæ-

riturque ab eo primùm quis morbi huius author, & causa fuerit. Inualuitque apud istos populos, stultissima hæc opinio, nullum cuiquam euenire posse malum, quod curatum non fuerit ab aliquo ex progenitoribus, aut auis demortuis cui debiti honores delati non fuerint. Rogatus in eum modum veneficus, paratas ad id officium monetas quasdam in altum iacit; quasi ductâ sorte cogniturus originem mali; quam asseuerantissimè statim pronunciat referendam esse ad aliquem ex atauis. Creditur autem sine morâ stulto nugatori, & pro mendacio merces etiam rependitur.

Neque hic finis, euocatur subindè aliquis è majoribus veneficis, duciturque in domum ægrotantis, vt ei, quem alter impostor authorem mali nominauit, sacrificia offerat, & munera. Eius iussu apparatur defuncto lautissimum conuiuium ex ijs dapibus, quæ ipsi ægroto acceptissimæ fore iudicantur: idest quas ille ipse parasitus expetat sibi ac suis: interim autem erigit altare, sortesque mittit vt de morbi exitu cognoscat. Porrò sortis genus quod iacitur est istud. Occiditur pullus gallinaceus, cuius præscinduntur pedes, mittunturque in feruentem aquam, obseruatur vero attentissimè qualem situm vngulæ pedum interim habeant. Nam ex eo vno, certissima de morte aut valetudine ipsius decumbentis coniectura ducitur, & si quidem ex eo auspicio fortunatum aliquid veneficus polliceri velit, toto vultu ac corpore hilaritatem insolitam præfert. Sin tristia portendat, mœstitiam etiam fingit in fronte atque interea de apparato conuiuio securus, ad placandos demortui cuiuspiam manes festinat. Sub initium quippe noctis, incondito quodam campanulæ sonitu, cum

euocat

euocat ad epulas indeque oratione ad dæmonem conuersâ quem etiam Regem ſuum appellitat, opem expoſcit aduerſus morbi primum incentorem, quod ſi morbum ingraueſcere perſpiciat, furere incipit miſerabilem in modum, diraſque in fictum illum ægritudinis authorem ſæpius euomere: millies eadem repetens,& perpetuo illo campanulæ ſonitu miſerum ægrum diuexans. Ac poſtmodum omnia hæc edulia, quorum nidore defunctum abundè ſaturatum fuiſſe ſimulat, arripit ipſe, traditque aſportanda domum ad vxorem & filios, cum quibus epulatur ſanè lautiùs, poſtquam miſeros illos manes ſic impunè luſit.

Sed neque hic modus ponitur præſtigiis,ſequenti die præcipit compingi cymbam quandam ex arundinibus, & papyro, in quam deſcenſuros fingit iam placatos defuncti manes. Deportaturque poſtmodum à domeſticis omnibus ægroti ad viciniorís fluminis alueum, in quo & demergitur, vt cum ea noxij ſimul manes aquis hauriantur. Atque vt nè iterum redire præſumant, euocantur militum aliquot manipuli, qui crebro bombardarum fragore territos procul arceant. Quibus omnibus peractis, ſi meliùs habere cœperit ægrotus tùm vero exultare atque omnibus incedere lætitiis impoſtor ſibique ac ſuis artibus mirificè gratulari. Si perſeueret aut etiam ingraueſcat ægritudo,noui ſubinde accerſuntur venefici, qui pluribus etiam mendaciis, malè credulos homines deludant.

Non omittam hoc loco, quod non ita pridem filio Regis contigit, adultâ iam ætate viro, quem etiam in partem curarum ſuarum, regnique adminiſtrationem pater iam vocauerat. Is cum lethali morbo correptus eſſet;

esset; venefici ad eum curandum, omnes artes suas consumpserunt. Sed inutili planè operâ; cum enim superante vi morbi ad extrema deductus esset, suaserunt histriones isti, ægroto Principi, vt Regiâ desertâ in ædes migret alienas; aliamque interim vilem quampiam personam in Regio suo lecto collocet. Superuenturam scilicet mortem, nec inuento principe, quem vnum quæsierat, in alium illum protinùs ruituram. Paruit prauis consultoribus cupidissimus vitæ princeps, alienam in domum delatus est. Sed mortis ictum nec fefellit, nec declinauit, non minus ei notus in alieno lecto, quam in suo.

Aliùd est præterea delyrium, in quod ingruente sæpe morte incidunt isti homines, vbi enim conspicitur quispiam animam agere, ingentem subitò equorum numerum apparant, quibus mox vt egressa fuerit de corpore anima commodissimè vehi possit. Imò & morientis nomen magnis omnes ad stantes clamoribus sæpius ingeminant. Rati se his vocibus posse amici hominis spiritum fugientem in corpus reuocare, vel per deuia errantem reducere.

Ad extremum quod de illo auspiciorum genere nuper commemorabam, vbi de futuro euentu morbi, ex pulli gallinacei vnguibus certum omen sumi solet, ad alia etiam omnia negotia extenditur. Si enim suscipiendum est iter si vxor ducenda; si gerendum bellum, nihil habetur antiquius quam vt ex pulli vngula ducatur solemne augurium: nam quoties ritè illa posita videtur, alacres & securi de prospero euentu opus aggrediuntur quod erant meditati. Si vero perperam illa sita fuerit mutant subito consilia, neque vlla vi possunt adigi,


adigi, vt ſuſcepti negotia perficiant,eſtque id ipſis ſæpè perincommodum, ſed inualuit ſuperſtitio quam ego Tunchinenſium maximè propriam eſſe ſuſpicor; quod in omnibus Orientis terris quas peragraui ſanè plurimas nihil vnquam ſimile perſpexerim. Aderant aliquando in portu non admodùm tuto viginti ethnicorum naues expeditæ ad nauigandum, quæ antequam ſoluerent è portu, ad ſolita vectores recurrunt auguria; & gallinacei pedem conſulunt, cumque ſiniſtra putatur portendere, demittunt ex templo vela; iaciunt anchoras, negant cogitandum eſſe de diſceſſu. Quam ego fabulam cum è meâ cymbâ tacitus riderem, cœlumque viderem ſerenum, & ferentes auras, nauarcho inſtare cæpi, maturaret diſceſſum, explicaret vela, & fauenti cœlo, plus tribueret, quam vngulæ gallinacei. Paruit ille licet ethnicus piè conſulenti, iam enim meliora voluebat animo. Soluimus è portu frendentibus nequicquam aliis omnibus, proſperoque curſu eodem die ad deſtinatam ſtationem appulimus. Poſtridiè vero tanta ſubito tempeſtas ſæuire cœpit, tenuitque totos deinceps viginti dies, vt eo toto tempore ſubſiſtendum fuerit nauibus illis in portu non ſine riſu Chriſtianorum, & pudore infidelium qui has etiam nugas inuiti damnare cogebantur.

* *
*



Multiplex Tunchinensium veneficorum circa defunctos superstitio.

CAPVT XX.



Olerabilior ſanè foret populorum iſtorum fatuitas, ſi poſtquam amicos aut parentes ſuos extinctos viderunt in manibus horum circulatorum, agnoſcerent ſaltem eorundem artes, & ludibria. Atenim poſt ſuorum mortem augent etiam dementiam, quippè tunc maximè, huiuſmodi nugatores aduocant, quod eorum artibus putent reuocari poſſe animas eorum quos lugent. Ad quod etiam ſimulandum egregiè docti ſunt hi venefici. Pythoniſſas enim habent quarum vna ſtatim ab obitu defuncti in ipſius domum accerſitur cum venefico, ab ijs audiente ac circunſtante familiâ vniuersâ demortui exorantur manes, vt afflictos agnoſcere ac ſolari ne dedignentur. Ad has voces ſæpiſſimè adeſt euocatus dæmon, corpuſque ſubit pythoniſſæ. Illa ſtatim bacchari, agitari, frontem, oculos, vultum monſtroſè torquere multiplicique colorum varietate deformare. Tum malus dæmon vocem ac geſtus defuncti planè imitatus, vt miſeros ſpectatores, irretitos vaniſſimâ iſtâ ſpecie teneat euocat proprio nomine vnum aliquem è familiâ, ignotum pythoniſſæ, ac cum eo ſermonem habet de ſecreto quopiam, & aliis prorſus ignoto negotio. Stupere hic omnes ad tam horrendum ſpectaculum, & defuncti amici hanc eſſe animam nihil

dubitantes,

dubitantes, lacrymabundi, eum venerantur, eius nomen repetunt iterum & sæpius, amice multa interrogant. Ad quæ dæmon respondet quidem, sed obscurissimè, ac amphibologicè, vt plurimis eos dubitationibus multipliciter discruciet. Vnum autem est quod in gratiam ganeonis venefici clarissimè ac sine verborum ambagibus, semper denunciat quænam videlicet sint dapes, ac bellaria quibus vesci expetat defunctus. Afferuntur illæ sine mora. Sicque miseri putant se maximè amico gratificari.

Quia vero sæpius etiam euenit, vt dæmon euocatus aduenire renuat, & subire pythonissam, illa nihilominùs ad mentiendam probè instituta simulare non omittit gestus omnes nequissimi spiritus, & defunctum imitari neque tamen fraus ab adstantibus dignoscitur, creduntque nihilominus apertissimis mendaciis, & cum ijsdem honoribus, easdem etiam Lurconibus illis exhibent epulas.

Aliud præterea incantationum genus est istis solemne pythonissis. Formam enim ac speciem ipsam defuncti exhibent in speculo, fallente sensus ipso dæmone ac imitante vocem & figuram omnem defuncti. Peragebatur aliquando huiusmodi cæremonia in domo ducis cuiusdam primarij, & in conspectu militum duorum Christianorum dæmon euocabatur. Quod illi scelus execrati, conuertunt taciti animos ad verum Deum, precanturque vt possunt enixissimè, vt ne patiatur toties deludi miseros homines à spiritu nequitiæ. Deinde comminantur etiam dæmoni, & objectâ cruce quam in manicis secretò gestabant prohibent accedere. Totam noctem tenuit hæc lucta perseuerante, ac suis præstigijs

insistente pythonissa, Christianis ab oratione non desistentibus: sed vicere isti tandem, abscessere dæmones, desiit phanatica venditare malas artes, superante amborum malitiam humili ac fideli duorum militum prece.

Alteri quoque Christiano non ita multo post similis de incantatoribus atque dæmone victoria obtigit. Exercebat in publico quodam foro huiusmodi nequitiam insignis præstigiator; eratque in procinctu, vt statuam quandam ex arundinibus, & stipulis confectam iuberet incedere. Ita enim sæpissimè solent facere ludiones impij, subeunte iniquo dæmone inane simulacrum, & saxa etiam ingentia mouente, non sine maxima imperitæ plebis admiratione, ingemuit ad hanc impietatem Christianus adolescens qui hæc spectabat, & scilicet suorum miseratus dementiam obfirmauit animum vt Dei auxilio fretus, nefario dæmoni se opponeret. Habebat nimirum sub veste occultam sanctissimæ crucis imaginem ad quam animum piè aduertens, cœpit nefarium dæmonem secretis exorcismis impetere, atque illi sacrum saluatoris in cruce suffixi nomen obijcere, meminisset se ab eo victum, & inferno clausum. Contineret se præscriptis ab eo septis, ac tandem desisteret insontem turbam suis technis decipere.

Coactus tandem est improbus dæmon Matthæi votis & precibus cedere, dum interim discruciaret se omnem in modum turpissimus veneficus quem dum adstantes omnes meritò derident preces ingeminat, procidit supplex ad aram, mox erectus adorare incipit, tentatque omnia vt spiritum malum ad se vocet: sed frustra incantationes, licet in multam noctem extractæ.

ctæ. Dæmoni enim tandem ſuo vehementiùs iratus, altare diruit, artem ſuam execratur, eiuſque authorem à quo ſe miſere deſertum eſſe ingemiſcit. Contra vero lætus tam proſpero ſucceſſu Matthæus conuolat ad patres noſtros, eiſque rem totam aperit, illi audito miraculo incredibiliter exultantes laudauere Deum & adoleſcentem bene animatum ſerio monere cœperunt, vt diuinum beneficium tacitus agnoſceret. Caueretque illud euulgare, ne fortaſſis ethnici captatâ inde occaſione aduerſus Chriſtianos grauius aliquid mouerent.



De funeribus & ſepulchris Tunchinenſium.

CAPVT XXI.



VIx vllam orbe toto arbitror eſſe gentem quæ pluribus officiis proſequatur tum corpora, tum animas, defunctorum quam populi Annamici. Circa funera enim corporum tria religioſiſſimè obſeruant primum quod Sarcophagum ſinguli ſuis comparant vt poſſunt magnificentiſſimum, & ditiores quidem plurimo nitentem auro, & variis picturis eximie ornatum. Alterum eſt funebris pompæ ſolemnis apparatus, ad quam cohoneſtandam, non cognati ſolùm, & affines conueniunt ſed eius etiam pagi omnes incolæ cum magiſtratibus frequentes coëunt quoties intelligunt celebranda eſſe funera cuiuſpiam Ciuis ſui. Quoties autem nobilis aliquis fato functus eſt, præſertim vero ſi Dux militiæ fuerit, aut gubernator. Tunc vero confluunt innumeri ex adiacentibus

vndique pagis, & militares quoque turmæ quibus præfuit dum viueret, omnes cum armis, & militiæ insignibus.

In omni autem huiusmodi pompâ præaltum semper & holosericum labarum præfertur, in quo grandioribus, aureisque litteris inscriptum est nomen defuncti deinde res omnes ab eo præclare gestæ, titulique omnes honorum ac magistratuum quos gessit, omnia paucissimis comprehensa verbis in modum epitaphij. Eius porrò altitudo labari esse solet palmorum minimùm quinquaginta; cui ferendo quatuor homines robustissimi vix solent esse pares. Feretrum præcedunt, defuncti liberi & vxor, lugubri omnes ornatu, flebilique voce ac eiulatu laudes defuncti, & accepta beneficia commemorant. Interdum vero ad libitinam ipsam conuersi, sub pedibus deferentium concidunt, præbentque se illis conculcandos. Hoc ordine proceditur ad sepulchri locum, qui pluribus sæpè distat milliaribus. Præsertim in Regia vrbe, intra cuius muros nemo terræ conditur.

Tertium enim in quo profusissimi, & accurratissimi esse solēt Tunchinēses est delectus ipsius tumuli. Persuasum quippè hoc in primis habent, eâ vnâ re vniuersam familiæ totius contineri felicitatem, honorum, opum, omniumque bonorum copiam ac firmitatem. Quo fit vt nulli vel impensæ, vel labori parcant, vt commodum aliquem huiusmodi locum inuenire possint. Ad quem deligendum, insignes quosdam impostores habent artis huius vt ipsi putant peritissimos. (Quam isti artem *diali* appellant) veniunt autem egregij nugarum venditores, cum instrumentis pluribus mathematicis

quorum

quorum vnum ſemper eſt pixis nautica: finguntque ſe ita explorare quod tantopere optatur. Indeque poſt horas aliquot, ſedulamque (vt quidem vafrè fingunt) operam, exclamant inueniſſe ſe tandem quo loco recondi defunctus maximè velit. Quemcunque vero locum circulator illi deſignauerit, quantuncunque remotiſſimus fuerit atque incommodiſſimus, exultare tamen ac triumphare gaudio ſolent ſtolidiſſimi hæredes, tanquam theſaurum eximium repererint ac locum etiam illum ingenti ſæpè pretio coëmunt. Neque defuncti corpus in eo priùs recondunt quàm illum egregiè compoſuerint, & ornauerint ex arbitrio mendacis huius nugatoris. Is enim ad majorem artis commendationem accuratè docet quâ tumuli parte iacere caput, quâ pedes vergere conducat vt defunctus ſub terra placidè quieſcens, nullam deinceps filiis inferat moleſtiam, ac quamuis plebeiorum hominum ſepulchra in patenti, & publico loco eſſe ſoleant, nobiliorum tamen hominum tumuli, plerunque abditi, atque ab omnium oculis remotiſſimi eſſe ſolent. Quod vereantur ſæpè filij nè ſi parentum corpora inimicorum iniurijs pateant in ipſorum deinde liberorum perniciem accepta mala, irati parentum manes vlciſcantur.

Ita illi quidem inſipienter omnino ac ſtolidè. At hoc vnum ſanè cordatiſſimè cautum enim eſt vt qui ſepulchri qualiſcunque religionem violauerit, is patratum facinus, grauiſſimis pœnis luat. Deinde obſeruatur etiam laudabiliter, vt quoties aliquis extra patriam diem obierit, eius filij, corpus illud referendum curent in natale ſolum. Atque id officium ſine morâ; & maximis ſumptibus ditiores obeunt. Pauperiores autem

tem

tem nunquam vltra triennium illud differunt. Hoc quippè solemne spatium est quo luctum suum erga defunctos testari solent; quâ vestitu, & habitu corporis, quâ pluribus etiam cæremoniis quas superstitiosissimè semper obeunt. Præcipuum autem lugentium insigne in capillitio eminet. Nam filij quidem (quod apud Annamicos viri comam soleant nutrire, atque in longum promittere, sed in semicirculi tamen formam supra frontem radere,) toto tamen illo triennio quod luctui destinatum est capillis frontem & oculos operiunt, non sine maximâ sæpè molestiâ. At vero viduæ in signum doloris, comæ quam impensè amant, partem aliquam auellunt, nec toto illo tempore sinunt crescere. Imò & seuere cautum est nè vlla prius conuolet ad alias nuptias quam triennium illud elapsum fuerit. Quo finito conuenitur iterum ad sepulchra, eáque religiose aperiunt & ossa pretiosis iterum vnguentis respersa nitidisque inuoluta pannis, in breuiorem transferunt sarcophagum, & eodem tumulo reponunt.

Imò & post hæc tanta, & tam accurata in defunctos officia, si qua deinceps ipsis aut familiæ calamitas obuenerit, eamque plateales illi (vt dixi) venefici retulerint ad demortuorum parentum iram. Adeuntur rursus, & aperiuntur sepulchra, cadauera curantur & componuntur scitissime. Id autem in primis cauetur vt ossa ossibus aptissime iungantur, capilli omnes amoueantur à sarcophago, ne qua forte res defuncti quietem perturbans, furorem ipsius prouocet in filios, dementes qui nesciant alia esse longe grauiora supplicia, quibus in alterâ vitâ miseri quiescere nullo tempore sinantur.



De solemni conuiuio quod in honorem defunctorum celebrant Annamici.

CAPVT XXII.



AD hæc tam vana, & impia accedit altera quoque ac stultissima obseruatio conuiuiorum quæ lautissima, & splendidissima mortuis suis apponunt *gia* ipsi nuncupant, triplicíque in his peragendis insaniâ laborant. Primum enim vanissimè persuasum habent, posse parentum suorum animas diuertere pro arbitrio in domos filiorum, atque in ijs diu commorari. Nescientes vesani quantum chaos inter illos & nos interiectum sit. Alter error ille ipsemet est quem esse perniciosissimum affirmat Augustinus, arbitrantur enim delectari nostris mensis illas animas, atque ijs libentissimè interesse ac pollucibiliter etiam epulari. Peculiarem itaque mensam ad id munus instruunt, & dapibus onerant exquisitissimis, ad quam cum lacrymis inuitant parentes. O fortunatum (inquit omnium nomine filius primogenitus) aduentum tuum parens amantissime in hanc domum tuam. Ecquid? eam tandiù deseris, aut cur? diutiùs auelleris à filijs. Nunquid meministi authorem te esse vitæ, non ab alio nobis quàm à te datæ. Tu nos ab infantiâ suauissimè nutritos, in hoc ætatis robur feliciter perduxisti. Tu domum & opes parasti, tu à puero disciplinis optimis imbuisti. Nunc autem cur? rarissimè ad nos venis, nec te doloris aut orbitatis nostræ miseret. Accede amabo ad paratas

tibi epulas à filijs, nec dedignare impares meritis tuis dapes.

Hæc dum familiæ caput eiulabundum inclamat, reliqui quoque in lacrymas miserabiliter soluti, parentem vt præsentem proni venerantur, compellantque amicè ad discumbendum, & paratis dapibus vescendum. Id quod ab eo etiam fieri stultissimè autumant: cumque satis fuit lacrymarum tunc in tertium demum errorem incidunt eumque omnium impiissimum. Cum enim constitutum hoc & ratum omnino habeant prosperam omnem familiæ totius fortunam pendere solùm ex eo quod parentem beneuolum habeant & nemini offensum. Sic eum iterum appellant, ne igitur parens suauissime, tuorum te capiat obliuio, sed longam omnibus vitam, prosperam valetudinem, opes copiosissimas impertire in quibus vocibus, procumbentes in terram omnes quater eam fronte pulsant præeunte semper primario familiæ capite, deinde cæteris sequentibus.

Neque verò huiusmodi conuiuium solo illo luctui destinato triennio instituitur sed toto præterea vitæ tempore, recurrente anniuersariâ die obitus paterni, rite instauratur; eâdem semper seruatâ cæremoniâ, & quidem tantâ omnium religione vt si quis illud prætermitteret, accusatus statim impietatis paterna hæreditate certò priuandus esset. Imò si cui ante obitum aliqua data fuerint à Rege oppida, relinquuntur ea toto illo triennio filiis & vxori, vt perceptis eorum reditibus, sumptus necessarios facere possint ad huiusmodi conuiuia. Quibus interesse solent cum omnibus defuncti

functi consanguineis, milites etiam vniuersi quibus ille viuens præfuerat.

Atque vt de aliis nihil ponam, certè ipse Rex quem egomet vidi, hoc superstitionis genere maximè laborat. Habet quippè intra Regiæ suæ cepta, domum capacissimam, opere magnifico extructam, & ornatam, quolibet Tunchinensium templo longè maiorem, & præstantiorem. Veneratur in ea parentem suum, cuius etiam spiritum in ea commorari falso existimat, vnde perpetuos ibi adoleri iubet suffitus, præsertim ex aloë ligno pretiosissimo. Instruunturque quotidianæ mensæ, apparatu Regio, perinde ac si adhuc ille viueret. Atque vt rectè totum hoc munus obeatur, vnum Rex destinauit è primarijs Eunuchis,cum amplissimo reditu, qui nomine ipsius, inferat quotidie cibaria, præsentemque (vt ipse putat) spiritum pronus veneretur: neque id vni Regi proprium. Solemne id est omnibus nobilioribus,imò & multis etiam plebeijs vt intra domum conclaue habeant deputatum ad cultum parentum, in quo præsentes eorum spiritus religiosè colunt.

Habet autem hoc præterea Rex vt lautissimum quot annis instauret conuiuium ad quod è toto vndique regno vocantur proceres, tenenturque subditi omnes aliquid vel ciborum, vel pecuniarum conferre ad eius apparatum, & quamuis mensæ apud eos vulgo rotundæ sunt ac, paruæ, pluribus sæpè distinctæ coloribus, & auro etiam ductili ornatæ, affabréque factæ, adeo vt inter nobiles, sua cuique mensa seorsim tribuatur. Plebeij vero terni aut etiam quaterni singulis mensis accubent. Attamen in conuiuio isto Regio quod commemoro, grandiores adhibentur mensæ duodecim aut

etiam quindecim pedum altitudine, in ambitu pedum triginta variè depictæ, multóque cælatæ auro. Fercula quibus non instruuntur, sed onerantur, plurima sunt & exquisitissima. Integri sæpè præpingues apponuntur tauri, sæpius etiam integri porci, sed elixi. Bellariorum ac dulciariorum congeries sanè incredibilis.

Sed hoc tamen risu, vel magis profectò lacrymis dignum visum est: quod ex maioribus illis mensis, vna semper aut altera, pictis tantùm & inauratis instruitur cibarijs ex chartâ nescio quâ, pulchrè elaboratis. Conijciuntur illa postmodum in ignem atque ibi, asserunt illa in verum mutari aurum parentibusque in alterâ vitâ reddi. Porrò hæc omnia postquam rite parata sunt, aduenit mox Rex ipse cum prole ac totâ curiâ lugubri omnes cultu, eáque peragit, quæ ab aliis vsurpari filiis familias olim retuli. Et ita quidem vsque ad sequentem diem, relinquuntur in mensis dapes, tunc enim satiato demùm (vt ipsi delyrant) spiritu, omnis ille ciborum apparatus distribuitur primùm in magnates, deinde sua cuique militi pars, postremò quod reliquum est etiam plebeijs. Sed ab ijs tamen sacrificuli omnes abstinent, quod oblata mortuis, immunda vulgo reputentur.

Ita omninò Rex semel duntaxat annis singulis. Sed sæpius præterea in ipso anni cursu, minùs solemnes indicit epulas (id quod primates etiam omnes peragunt) in honorem aui aut ataui omniumque maiorum ad octauam progeniem. Habent enim annotatam apud se diem obitus eorum, atque illâ recurrente obeuntur solita conuiuiorum officia. Vulgus autem quia vix proauos ita notos habet, propterea duo singulis annis men-

ses

ſes publicâ lege ſunt conſtituti, ſeptimus nimirum & duodecimus; vt in eis omnium communiter defunctorum memoriam inſtaurent. Vt videas quàm pudenda ſæpè ſit Chriſtianorum ſegnities, in iuuandis defunctorum pijs animabus. Cum hæc ethnici, tam accuratâ ſuperſtitione præſtent ad ſolatium ſuorum.



Plures aliæ Tunchinenſium erga defunctos obſeruationes ſuperſtitioſiſſimæ.

CAPVT XXIII.

Ncredibilis omnino eſt Tunchinenſium erga defunctos parentes amor, & effuſa in eorum cultu liberalitas. Hæc enim ſane ſupeſtitio eſt, in qua facultates ſuas omnes exhauriunt, multum etiam æs alienum contrahunt. Nam licet in ea quæ ſæpius commemoraui conuiuia, ingentes ſemper expenſæ fiunt, major tamen & damnabilior eſt altera illorum prodigalitas, dum plurimam ſupellectilem pretioſam miſerè conſumunt, & mittunt in ignes, ſtultè reputantes, eam deinde omnem reſtitui defunctis in altera vita longè meliorem effectam, & pulchriorem. Imò & ædiculas quaſdam conſtruunt ex arundinibus, & papyro, eaſque pingunt & inaurant; deindè abſumptas flammis putant mirâ quâdam metamorphoſi, in veras mutari, & cedere in eorum quos ipſi volunt defunctorum vſum. Ideoque ſemper exeunte anno plurimas veſtes depictas coëmunt & comburunt, vt videlicet ſub initium inſequentis anni, nouis ſemper indumentis de-

functi vestiantur. Eamque consuetudinem toto regno vsurpari solitam omnibusque summis iuxta, & infimis communissimá, multis adductis rationibus oppugnare necesse fuit, & ostendere quam vanum esset, ac fatuum, miserrimis animabus nihil mittere præter cinerem ac fumum, vtrumque superuacaneum, aut etiam noxium. Sapientiùs facturos eos, si quas illi vestes misere perderent, eas viuis potius pauperibus donarent. Sic profuturam defunctis pietatem, si qui fortè purgarentur adhuc in alterâ vitâ. Neque vana sæpe fuit hæc oratio, sed pluribus sæpe tum Christianis, tum ethnicis sane vtilis. Accepi ego mendicum quendam Christianum retulisse, se vnius tantùm anni spatio habuisse vestes viginti octo. Cui authores fuere nostri vt seruatis ijs quas in suos vsus arbitraretur esse necessarias, reliquas omnes distribueret pauperibus.

Neque verò huiusmodi officijs parentes solùm, & cognatos colunt. Illud enim mirum est quod simili etiam pietate prosequuntur eorum animas quæ parentibus, & cognatis ac sepulturâ destitutæ, nemini prorsus curæ sunt. Vocantur ab ipsis *Cu hon*, ad quarum solatium, semel annis singulis sub initium sextæ lunæ quæ in Iunium nostrum incidit, plurimas vestes aliamque huiusmodi supellectilem flammis absumunt. Quin & Scholastici bis mense quolibet, in nouilunio nimirum & plenilunio pro ijs animabus, stipem turmatim colligunt, vt ex eâ deinde pulmenta quædam conficiant, quæ partim ipsimet comedunt, partim in varias domus partes effundunt præsertim super tecta. Rati eo aduenire postmodum animas, & appositis illis dapibus vesci, & quod adhuc stolidius est. In ludimagistri cuiuslibet

iuslibet gymnasijs aræ sunt animabus istis sacræ, vbi à discipulis religiosissimè coluntur eo præsertim animo, vt perspicax, & facile ad discendas litteras ingenium obtineant. Quæ omnia licet maximæ dementiæ sint plenissima, sunt tamen perspicua, impressæ cuilibet à naturâ, immortalitatis animorum argumenta.

Hæc quæ à me hactenus dicta sunt, ad omnes spectant, etiam plebeios. Alia vero quædam restant primariorum virorum propria. Simul enim extinctus est eorum aliquis,amplissimum, in aperto campo, ei palatium extruitur ex facili quidem ad comburendum materiâ; sed plurimis exterius ornatum picturis. Deinde multa in eo reponitur supellex domestica, mensæ abaci mantilia,cubilia, & plura etiam simulacra elephantum, equorum, felium, canum, omnia quidem vilia ex stipulis & chartis compacta, sed propter artis industriam eximia, quippè milleni sæpè aut etiam ijs plures expenduntur nummi,ad tales nugas,tum solemni parato conuiuio, aduocatisque musicorum, tibicinum, sacrificulorum, atque veneficorum choragijs, inter inconditos eorum clamores ac horrendas vociferationes ignem in hæc omnia subijciunt, sollicitè cauentes ne quid eorum, supersit incendio, putantque homines dementissimi, vera palatia, veros elephantes, cæteraque omnia reddi pro depictis verissima, ijs quibus parentant. Quam ipsi opinionem tam altè demiserunt in animum, vt nullo pacto euelli possit, difficillimum enim omnino nobis est illis suadere, vt ab ijs ludicris cæremonijs viui abstineant, & mortui quoque carere velint.


* *
*

De



De cæremonijs quibus Rex diem suum natalem celebrat.

CAPVT XXIV.

ACTENVS de funeribus plurima, sequitur vt de Regis natali dicam paucissima. Primò igitur paucis ante illum diebus, afferuntur ex omnibus regni Prouincijs præclara munera, vt ex ijs solemne paretur conuiuium, quod ducibus omnibus, vniuersæque militiæ, lautissimum Rex instituit, quo peracto, illi fidem Regi sanctè iurant, nouisque omnes vestibus donantur.

Inter errores autem innumeros quibus excæcata hæc gens laborat, iste sanè crassissimus est, & vanissimus. Existimant tres in homine quolibet esse animas quas *Ba bon* dicunt. Vulgarem tamen illam ignorantes partitionem animæ in vegetantem, sentientem, & rationalem. Præter quas etiam septem spiritus inducunt quos appellant *Baï via*, neque tam sunt periti vt eos reuocent ad animales & vitales. Cumque aliquem subitaneo aliquo pauore correptum vident, aiunt amitti ab eo spiritum. Mulieribus autem nouem spiritus attribuunt *Chinuia* ipsi nuncupant. Partim quod videant eas esse timidiores, partim quod vitaliores: hoc igitur imbuti errore arbitrantur, Regem in natali suo, nouum semper haurire spiritum, consumpto prorsus priore, quem toto eo anno seruauerat. Ideoque primo diluculo huius diei, deducitur in campum remotissimum vnus è

Regijs

Regiis curribus, magno comitatu militum, ac populi, qui pulcherrimis floribus, & ramis currum totum concinnissimè conuestiunt, eumque subinde in vrbem magnificè reducunt, existimantes eo vehi spiritum illum quem Rex in totùm annum est accepturus; Rex autem obuiam prodit è palatio præcelso, ac ornatissimo inuectus curru, proceditque in forum, occursurus ibi spiritui suo, quem vt præsertim hauriat, conuolat alacris in currum vbi sedere illum autumat, exosculatur flores, & ramos, quibus contexitur, tanquam eo quasi flatu fictitium illum spiritum ebibat. Postmodúmque in priorem currum regressus, magnis omnium acclamationibus & gratulationibus reuehitur in Regiam, quasi nouo, & meliore imbutus spiritu. Sequuntur conuiuia, pro more, apparatu Regio, & populi totius, plurima pro Regis salute vota.



Variæ Tunchinensium vanissimæque obseruationes.

CAPVT XXV.



PRIMA sit, quod cum diem naturalem in horas duodecim vulgo diuidant, earumque singulæ duabus minimùm nostris æquiualeant; denominantur omnes ex signis cœlestibus, à quibus etiam dies omnes, & menses, atque annos distinguunt. Perenni & nunquam interruptâ reuolutione totam eorum seriem numerantes. Nam decem iterum characteribus iungunt hæc signa, sexaginta semper annis conuersio-

nem quanlibet finientes. Has autem siderum ac dierum conjunctiones, studiosissimè obseruant, seque ipsos non rarò in extremas redacti angustias, eâ inutili vanitate miserrime discruciant. Habent enim annos quosdam, menses, ac dies, à quibus sibi magnoperè cauendum putent, quod existiment eos esse infasttissimos: obseruant videlicet sollicitè horam & signum in quibus sunt nati, & quidquid eo notatum signo videt, horam, diem, mensem, annum, ea omnia reputant esse pessima, & planè infausta. Maximéque horrent in ijs negotium vllum aggredi.

Vigebatur non ita pridem Rex Cocincinæ à numeroso & formidabili exercitu Tunchinensium, in regni fines irrumpere parato. Aderant tum perturbato Principi plures mathematici, vanarum illarum artium venditores. Habebantque rotati nescio cuius horologij, grádiorem machinam, quam vltrò citroque conuertentes in omnem partem seuerè affirmabant abstinendum esse à prælio, illâ horâ, quæ infelici notata signo, mali aliquid certò portenderet. Ad quas nugas excandescens Rex, calce contemptim percusso delusorio illo, & composito ad fallendũ horologio. Itanè (inclamat) fines nostros impunè hostis inuadet, cessantibus nobis ac quiescentibus. An vero euenire nobis aliquid potest infeliciùs, quam si hostium crudelitati obijciamur. Eia milites arma impigrè capessite, cuneosque hostiles fortiter inuadite. Sic felicissima nobis, aduersariis autem fatalis hora hæc euenerit. Paruerunt imperanti Principi, milites fortissimi, & eâ ipsâ horâ quam mathematici affirmabant esse Cocincinensibus ominosam, ingenti victoriâ potiti, dupliciter triumpharunt, & de hostium auda-

ciâ,

ciâ, & de vanarum artium dementiſſimâ fallaciâ.

Alia præterea ſexcenta ſunt huiuſmodi ſomniorum genera, quibus ethnici tantum profectò tribuunt, vt ab eorum impoſturis, miſerè ſe diuexari patiantur. Si enim manè domo egreſſi, negotium aliquod grauius ſuſceperint, priúſque in itinere obuia eis mulier venerit, quam maſculus, referunt ſe illicò domum, ſtultè opinantes fieri non poſſe vt felicem exitum habeat negotium. Similiter ſi aliquem contigerit domo exeuntem, ſternutare, aut alium quempiam audire ſternutantem, cohibent ſubitò greſſum, domoque ſe continent reliquâ totâ die, rati malum ſibi graue imminere ſi prodeant. Et hæc pauca ex innumeris libaſſe ſatis ſit, vt hæc legentes miſereri tandem incipiant gentis excæcatiſſimæ, quam in tantis tenebris conſtitutam miſerè dæmon ad inferna rapit, petantque à patre luminum vt diſcuſſis errorum tenebris, faciat ibi filios lucis, & dilectionis ſuæ.



Matrimonia ſua quo ritu Tunchinenſes celebrent.

CAPVT XXVI.



VIGET quidem apud hos populos Polygamia, quæ proceribus præſertim adeo eſt vſitata, vt pleríque retentâ priori vxore conuolent ad ſecundas nuptias, plebeij autem prioribus repudiatis aliam coniugem inducant. Iſta tamen inter eos lex eſſe ſolet connubiorum.

Primum caput est vt de ijs constituendis tota penes ipsos parentes cura resideat. Illorum munus est pacta peragere, decernere de dote, ac demùm de circunstantijs omnibus conuenire. Idque faciunt etiam tunc cum impuberes liberi minùs adhuc idonei sunt ad coniugia. Et quidem masculi parentes mentem suam per amicos denunciant parentibus puellæ, exquiruntque nùm velint de ineundo inter filios matrimonio pacisci. Hac acceptâ facultate mittuntur ad puellam munera, quæ parentes vbi ritè acceptauerint, iam non est illis integrum, sine grauiore aliquâ nouâ causâ, ab inchoatis illis sponsalibus, pro arbitrio resilire. Sed sæpiùs tamen postquã designatus ille gener pubertatem attigit, euocatur in ædes soceri, & in eâ probatur quam gnauiter rem familiarem videatur esse curaturus. Si enim piger, atque oscitans appareat, tùm verò satis putatur esse causæ, ad inita pacta irritanda, statimque restitutis muneribus in paternam domum ablegatur. Sin autem probè ab illo domestica gerantur negotia, tùm vero quod reliquum est matrimonij totius opus perficitur.

Monentur videlicèt vtriusque partis cognati omnes, vt frequentes conueniant, ad festiuam solemnitatem. Inter fratrũ enim duorum filios, etiam in gradu remotissimo, nusquam copulãt coniugia: fratris & sororis nepotes, in tertio gradu iungi possunt: filij duarum sororum possunt in secundo. Post conuocatos ad nuptiale conuiuium cognatos, qui omnes deferre tenentur munera, inuitantur etiam, loci gubernator, & seniores, qui omnes conueniunt semper ad has epulas. Idque tam seuerè cautum habent, vt si quis eam cæremoniam omiserit, irritum habeatur connubium, atque ab eo iustè

iustè resilire possit vxor, quod contractus receptissimâ, & per leges omninò perscripta caruerit solemnitate. Vt videas quantum ipsa naturæ lex quæ apud hos populos sola viget à clandestinis abhorreat coniugijs. Ijs ritè peractis, sponsus dotem quam vxori tenetur constituere, ad soceri domum mittere properat, quæ tota in nouæ nuptæ vestes, supellectilem, muliebremque apparatum sedulò impenditur & quamuis puellæ parentes nullam obligantur dotem illi ex propriis facultatibus largiri, quoties tamen in domum sponsi ducitur, plurima, & præclarissima ei semper dona tribuunt. Tunc autem vniuersa illa supellex in puellæ vsus comparata, præmittitur in domum sponsi, eâdem quidem die si modica illa fuerit, pridie autem, aut etiam maturius, si plurima fuerit & copiosissima, qualis inter nobiles esse solet: sequitur postmodùm ipsa, vniuerso comitante pago, magistratu, & cognatione totâ, migratque in ædes mariti, in eas vbi primùm ingressa fuerit, venit ad aulam primariam, vbi plurimæ ad coniugum colendos progenitores extant aræ, in quibus multo thure aliisque suffimentis ritè operantur. Tùm sponsi pater, si adhuc est in viuis, vel in eius locum si iam viuere desijt, senior patruus in genua supplex prouoluitur; conuersus que ad demortui patris sui manes orationem in hæc ferè verba præit. En parens optime, supplicem vides nepotem tuum, qui hâc sibi N. amantissimâ vxore ductâ, nihil prius habuit, quam vt in sinum tuum se ipsum conferret, ac sua omnia. Tu eas nuptias suffragio tuo approba, & votis eorum propitius faue, vt felicem ac diuturnam in coniugio vitam agant, filios suscipiant viribus pollentes, moribus probos, opibus abun-

dantes paratum istic est conuiuium cui te tanquam primarium familiæ totius caput, iucundè accubiturum speramus omnes, & cupidè à te poscimus.

Post hæc distinctè sic pronunciata, peractum censetur coniugium, à quo resilire nequaquam liceat maximè vxori. Nam illi fas nunquam est discedere à viro, cum tamen ipsi viro, grauioribus quibusdam ex causis integrum aliquando sit, coniugi dare libellum repudij. Quod plebeijs quidem non est omninò insolens, nobilibus verò prorsùs inusitatum, eo quod plures vxores habeant, neque vlla vnquam de secundis nuptiis cogitare audeat. Cæremoniæ totius pompam claudit festiuum conuiuium plurimâ lætitiâ, & exquisitâ liberalitate. Neque ad totius huius contractus firmitatem, alius præterea exigitur partium consensus. Quem sanè silentium illud & incuruatio genuum vtriusque coniugis, abundè significat, eo ipso tempore, quo mariti pater coniugium illud solemniter denunciat.

Vnum hic attexam, quod mihi sane visum est mirabile, potestque argumento esse quod iam olim Tunchinensibus, aliqua saltem affulserit Euangelicæ lucis scintilla. Simul enim è matris aluo prodit puer, eum statim obstetrix salutiferæ crucis signo in fronte notat. Pingitque illud aut atramento, aut colore quopiam alio quem maluerit, incidi ego aliquando in infantulum recens natum ex ethnicis parentibus. Cuius mediam frontem cum pulcherrimâ cruce signatam inspicerem, rogare statim cœpi ab ethnicis adstantibus, quale tandem esset illud signum aut quamobrem illud sic puerulo inurerent: respondere illi, eo signo infantem muniri, ne illi nocere valeat malus vllus genius.

Ego,

Ego inſtare, quidnam vero virtutis ineſſe poſſet iſti ſigno aut vnde illam accepiſſet. Ad quæ illi nihil profectò habuere quod reponerent præter receptiſſimam, & antiquiſſimam longiſſimi temporis conſuetudinem, quæ ante omnem hominum, memoriam apud illos vigeret. Vnde ni fallor argumentari licet, prædicatum iam alias in his terris fuiſſe Chriſtum, cuius ſalutare ſignum adhuc retineant atque vbi primum veniunt in lucem, in fronte gerant. Vtinam & à fronte ad penetralia cordis peruadat, operante in eis, & ſe ipſum manifeſtante Chriſto crucifixo, ſeruatore noſtro.



Varij ritus Tunchinenſium ſub anni finem, & initia.

CAPVT XXVII.



VETVS eſt & conſtans horum omnium populorum cõſuetudo, vt ſub exeuntis anni finem, ſenes omnes tum viri, tum etiam fœminæ, domo egreſſi, confugiant ad templa, tanquam ad aſyla quædam tutiſſima, & intra ea ſeſe contineant per dies aliquot, vt ſic ab improbi cuiuſdam dæmonis iniuriis tecti eſſe poſſint, cuius officium eſſe putant, vitæ ſenum, & vetularum, inſidiari ante initium inſequentis anni. Quod periculum vt euadant, dies totos, & noctes intra fana illa commorantur; donec nouo appetente anno, rurſus ſecuri remigrent ad proprios lares. Quo tempore nihil ſibi metuendam putant dæmonum petulantiam.

Reliqui omnes, si familiæ cuiuspiam capita fuerint, vltimo anni die, in vestibulo domorum, præaltam erigunt trabem, in cuius vertice cauea est capacior, plena nugatoriis illis quas sæpè dixi picturis auro, argentoque plurimo illusis. Putant videlicet egere proauos suos sub finem anni subsidio aliquo ad soluenda debita. Nam viget apud hanc gentem consuetudo ista sanè laudabilis, & populorum omnium digna imitatione vt quisquis ære alieno grauatus est, ab omni eo se prorsùs, exeunte anno liberet, nefas graue ducentes, manere inchoato iam anno nouo, debitum aliquod anni anterioris. Hoc autem tametsi dignissimum est laude, videtur tamen ex duplici ortum superstitione. Prima est quod pessimum esse reputent, si creditor ob dilatam solutionem, offensus debitori aliquod in eius proauos probrum iaciat, quod illi grauius ferẽtes, anno ineunte, in nepotes furorem conuertant. Imò & quoties alter alterum afficit contumeliâ, quæ maiorum ipsius famæ obesse possit, grauibus subjacere solet pœnis, si ad iudicem res deferatur: altera superstitio est, quod magnopere quisque horreat aliquid domesticæ rei, sub anni principium distrahere; aut extra familiam ipsam à se alienare. Ideoque nemini, etiam Regi hoc tempore de rebus suis quidquam tribuunt, sed illud duntaxat omni adhibitâ operâ tunc curant, vt nouas ac plures opes domum referant, idque si præstare valeant faustissimum arbitrantur: vnde fit vt prius semper, quàm in exitu sit annus, æs omne alienum dissoluant, vt ne postea sub initium anni cogantur à creditore aliquid largiri quod ipsi ominosum putant.

Præter cæteras autem, hæc vna superstitio, est omnium

nium communiſſima domeſticos quoſdam Deos habent (quos vocant *Tien ſu*, ideſt veteres magiſtros) hos tanto, & tam accurato colunt ſtudio, vt vix apud Annamicos domum vllam reperias, cuius in veſtibulo ara non conſpiciatur in honorem huiuſmodi larium, ad quam manè ac ſerò vniuerſi, ſupplices accedunt, & quotidianos ſuffitus adolent. Artis quidem quam quiſque profitetur, author ab eo tam impenſe colitur, vt ſerio ſtatuant, totam artis huiuſmodi peritiam, proſperoſque ſucceſſus omnes, ab vnico eius præſidio, ac propitio fauore prorsùs pendere. Proptereaque perpetuas fundunt ad ipſum preces, tanquam ad primarium vitæ ſuæ,ac fortunæ totius præſidem. Habent videlicet medici, mercatores, milites, imò, & quod certò comperi, ipſi etiam latrones, ſuum ſinguli *Thien ſu*, à cuius cultu, nullis ſe vnquam rationibus abduci patiuntur.

Conualueram ego aliquando ex grauiſſimo morbo, medici cuiuſdam ſedulâ, & beneuolentiſſimâ operâ. Huic ego vt præſtitæ beneuolentiæ vicem eximiam rependerem; magnopere laboraueram, vt Chriſti fidem ſuaderem. Neque difficile mihi fuit aliorum Idolorum ei contemptum,aut etiam odium inducere.Cum autem ad *Thien ſu* ipſum deuenimus,eum vero vt abijceret obtinere nullo modo potui. Sed in errore turpiter obfirmatus, magno meo dolore paulò poſt interijt. Alterum quoque militiæ ducem, prouinciæque gubernatorem octogenarium adduxeram, vt Chriſto, ac fidei nomen daret. Iamque linteatus ego eram, & omnia parata vt ſacro cum lauacro expiarem, cum ecce ſuum, mihi alias omnia cogitanti opponit *Thien ſu*, negatque ſe illum abjecturum,quod milites eo carere nequaquam poſſint

aut velint. Idque tàm constanter, imò pertinaciter asseuerare perrexit vt abrumpenda necessariò mihi fuerit tota hæc baptismi cæremonia; donec mentem miser mutaret; & sapientius consilium susciperet.

Concludam longiorem hunc de Tunchinensium erroribus sermonem, vltimâ istâ, & perniciosissimâ dementiâ. Nullus siquidem pagus est; qui deum suum, aut magis dæmonem tutelarem non habeat. Eius in honorem templa vbique magnificè ornata sunt, ad quæ superueniente publico quolibet negotio, seniores omnes, ac primores totius pagi, frequentes conueniunt, vt consilia capiant, communemque procurent salutem. Statæ quoque annis singulis decernuntur festorum dierum solemnitates duorum, aut trium mensium, quibus quotidiana conuiuia cum cantibus & choreis agitant. Est enim communis hæc omnium opinio, dæmonem hunc, arbitrum, & dispensatorem esse publicæ totius, priuatæque felicitatis. Pendere ab eo prosperam hominum, & iumentorum etiam valetudinem. Ab eo agrorum lætam fœcunditatem, & secundam omnium fortunam effici. Vnde illum incolæ loci, *Regem*, vulgò dicunt. Rationem autem tantæ huius obseruantiæ hanc esse comperi, quæ sanè ludicra est aut magis pudenda. Si enim latro quispiam, aut homicida, iudicis sententiâ, extra ciuitatem, morte plexus fuerit, casuque fortuito accidat, vt bubalus aut bos, aut porcus iuxta cadauer illud, aut sepulturam, in qua conditum est; decidat, vel graue aliquid patiatur, toto confestim pago ingentes excitantur turbæ, conclamare omnes, acurrere, omnia facere ad auertendum grandè hoc ostentum. Idque vt faciant securiùs, consecratur sine

morâ

morâ maleficus ille in Deum pagi tutelarem. Extruitur ei templum, eriguntur aræ, diuini honores decernuntur. Imò, & quod narrare magis horret animus, si quis huiusmodi casus, iuxta fœtidum canis alicuius, aut iumenti cadauer contigerit, illa etiam (proh pudor) animantia assumunt in Deos, & pagi Reges, communi omnium suffragio inaugurant.

Fertur in annalibus harum nationum, fuisse quondam Cinarum Regi nescio cui, filiam adeo turpem, & sceleratam, vt incredibilem eius improbitatem non ferens pater, proijciendam eam curauerit in mare, putridum eius cadauer diu per immensa Maria iactatum, expulere tandem fluctus ad Tunchini littora. Eodemque tempore vni alicui contigit è portu vicino, vt graui aliquo fortunæ casu percelleretur. Quæ res circunjacentium omnium pagorum accolas adeo terruit, vt vnanimi omnes consensu, eam sibi Deam, & præsidem Reginam in sequentes omnium temporum ætates assumpserint, portumque de illius nomine, deinceps *Cua Cuia* idest portum Reginæ appellauerint: atque hic cultus ex eo portu ad alios omnes ita sensim propagatus est; vt nullus in eâ omni orâ, sit portus, in quo turpissimæ huic mulierculæ templum erectum non habeatur. Neque vlla vsquam nauis è portu soluere audeat, nisi petito prius auxilio eius ad felicem nauigationem. Speramus autem breui fore, vt impio illo sceleratóque cultu in sacrum veri numinis honorem immutato, veram quoque cœli Reginam, & stellam maris, Mariam Tunchinenses omnes venerentur. Et supplices vbíque in vota vocent, id quod à plurimis eorum iam factum cum incredibili gaudio videmus, & gratulamur.



Toni & accentus linguæ Annamicæ.

CAPVT XXVIII.



Lurimùm quidem differt ab idiomatè Cinensium Annamica lingua, sed accentus tamen, & tonos habet omninò similes. Nisi quod sex accentus, Cinenses habeant, Annamici quinque, quibus vtrique, nostram in loquendo, imitantur musicam. Nulla quippè, inter eos vox est, quæ non vno aliquo huiusmodi accentu specialiter signetur, adeo vt ex ijs tota earum vis, & significatio distingui videatur: sed eos tamen, pronunciatio solum vocalis designat, scribendo autem nulla specialis nota exprimit, ex quo magnopere accescit eorum labor qui huic linguæ addiscendæ operam nauant aut eorum libros perlegunt. Cuius disciplinæ labor, vt deinceps minor esse posset, statuimus, in omnibus ijs libris, quos hâc linguâ conscriberemus apponere certam ac propriam specialis accentus, & toni notam.

Primus igitur apud eos tonus ille est, quem depressio vocis exprimit, diciturque grauis, & in arte musicæ vocatur bassus. Vt *Dò* id est decipula: secundus, est quasi grauis, quod ad eum plurimùm accedat, profertur enim cum vi quâdam & conatu ex imo pectore, notaturque puncto vno sub vocali, quale apud Græcos dicitur iota subscriptum vt *re* idest radix. Tertius est circunflexus grauior qui pronunciatur, cum modulatione quâdam, & inflexione canorâ vocis, vt *mi* familiæ cuiusdam

dam

dam nomen apud Annamicos. Quartus eſt æqualis, atque ideo nulla ei ſpecialis affigitur nota, vt *Pha* ideſt immiſcere. Nam F. in hoc idiomate locum non habet, ſed P. aſpiratum. Quintus item circunflexus, ſed lenior, eam vocis inclinationem referens, quam habet apud nos tonus, quo inuicem interrogamus, eandemque prorſus notam infert, *vt Sô* catalogus. Sextus demùm acutus eſt qui ſimilitudinem habet iracundiæ, pronunciatur enim acutâ voce, habetque notam acuti accentus. Quibus ſex vocibus imitati videntur Annamici ſolemnes illos tonos noſtræ muſicæ *Dò*, *rè*, *mí*, *pha*, *sô*, *là*.

Alterum præterea in hâc linguâ eſt operoſiſſimum, quod in eâdem ſæpè ſyllabâ omnes illæ tonorum differentiæ ſic inueniuntur, vt per eam ſignificentur res prorſus diuerſæ. Sicque affirmare verè poſſumus, totam vocis ipſius animam, eſſe tonum pronunciantis, id quod, vel ex hâc vnâ voculâ *Bà* liquere poteſt. Si enim accentu graui notetur *Bà*, dominam ſignificas vel auiam. Si cum ïota ſubſcripto *Ba* eſt conglutinare, vel res derelicta; ſi cum circunflexo grauiore *Bâ*, illud deſignat quod reliquum eſt ex herbis expreſſo ſucco, cum circunflexo leniore *Ba?* eſt alapa. Denique cum acuto *Bá* principis alicuius viri concubinam notat. Sicque repetita quater; cum diuersâ vocis inflexione vna hæc ſyllaba *Ba*, *Bà*, *Ba? Bá*, ſignificabit, tres dominæ colaphizant concubinam Regis. Eadem eſt ratio alterius huius item ſyllabæ *Ca* quæ mutatis accentibus ſignificationem quoque ita immutat, vt ſignificet inſanam, cantilenam, magnum, & piſcem.

In hâc accentuum notitiâ, tota fere conſtat huius lin-

guæ peritia, quâ sanè quisquis caruerit, in multos eam, & pudendos errores incidere necesse omninò est. Sic enim aliquando vni è patribus nostris contigit, vt, cum famulo cuidam Annamitæ significare vellet comparandos esse in foro pisces, vteretur voce *Ca*, sed grauis accentus tono, cum efferri debuisset accentu acuto. Famulus autem nihil attulit nisi poma, legitimâ vsus excusatione, quod sic imperatum esset: alia perspexi huiusmodi frequentissima exempla, in quibus narrandis non immorabor.



Varia Tunchinensium nomina.

CAPVT XXIX.



VIx credi potest, quanta Tunchinensium, in nominibus imponendis vanitas sit. Si moriatur eis filiorum aliquis, studiosissimè cauent, nè alteri liberorum idem postea imponatur nomen, nè fortasse idem ille dæmon, qui primo illi filio necem intulit, audito deinceps eodem illo nomine offensus, simili concepto furore, secundum enecet stulitissimâ siquidem opinione illâ imbuti sunt, singulis infantibus, vbi primùm sunt nati, malum statim adesse genium, qui omnium eis morborum per totam deinde vitam causas procuret; & ad extremum mortem etiam ipsam inferat: atque vt eum procul abigant, turpissima sæpè nomina liberis suis imponunt, vt eorum pudore dæmon territus abscedat. Nescientes miseri nullâ re sordidissimum spiritum, magis delectari, quam his turpitudinum suffitibus.

Deinde

Deinde ab hâc vanissimâ opinione, in summam deuenere crudelitatem, si filiorum aliquem præmatura mors eripuerit, ac postmodum alter è liberis postea susceptis incidat in morbum, ex quo non sperent illum posse conualescere, deuehunt illum in remotum ab vrbe campum, ibique innocentissimam victimam gladio concidunt, & dissecant in partes duas, rati nihil posthac in eâ familiâ tentaturum dæmonem, tantâ & tam horrendâ territum crudelitate. Sic videlicet dementante credulas mentes deterrimo spiritu, vt specie quâdam pietatis delusos, in pudendam carnificinam pertrahat. Sed ab eo tamen furore adeo abhorrent nostri omnes neophyti, vt non solum ab eo ipsi procul absint, sed omni etiam studio, ac conatu, à popularibus suis illum arceant. Si quos autem adeo confirmatos in tanto errore videant, vt nullo modo possint eos vincere, id certè magnopere laborant assequi, vt saltem innocentes has victimas, salutaribus baptismi aquis, prius tingant, quam crudeli parentum manu mactatæ moriantur. Vnum ego reperi Antonium nomine pijssimum neophytum. Cui adeo cordi erat istud officium pietatis, vt abjectâ domesticâ omni curâ, in eo solùm negotio totus esset; discurrebat videlicet, per vicinos pagos & sollicite inquirebat, pius venator animarum, num aliquos huiusmodi puerulos parentes morti destinassent. Si quos inuenisset, protinus baptismo studiosè lustrabat, nobisque absentibus vnico anno, ducentos huiusmodi transmisit in cœlum, quorum nomina descripta, postmodùm ad nos lætus detulit.

Alius præterea mos est inter has gentes vsitatissimus, vt nato eo filio, qui familiæ totius futurus est caput,

put, vbi primùm ei nomen imposuit pater, eodem scilicet natiuitatis eius die, omnes in eâdem familiâ nomen mutent (adeo vt si filio) verbi gratia, nomen imponatur *Dum*, quod significat æs, pater proprio nomine deserto, deinceps honorificè appelletur *Dum pater*, contumeliamque inferre censeretur, si quis antiquo eum appellaret nomine. Idem etiam præstant auus, mater, auia. Sed ita tamen vt auus atque auia, totâ deinceps vitâ nomen nunquam mutent, pater autem & mater nomen illud duntaxat seruent donec ex primogenito illo filio, nascatur ipsis nepos, tunc enim aui, & auiæ assumunt nomen, quin etiam patruus & amita si nullos adhuc suscepere liberos, ex eo etiam nepotulo appellari solent. Putant enim honorificum vocari *Dum*, patrinus *Dum* amita. Imò ipse puer primò impositum non seruat nomen, nisi quandiù infantulus est, & minore natu fratre caret: nam vbi frater illi natus est; deposito priore nomine, ab eo incipit denominari; si enim frater eius *Thien* fuerit dictus, tum major natu honoris assumet nomen *Thien*, frater major, seruabitque nomen, donec filio suscepto, denominetur ab eo pater.

Verum ita quidem plebeij, alia nobilium ratio est, quos nemo appellare vnquam audet eo nomine, quod à parentibus primum accepere, vocaríque ab ijs solet nomen turpe *Ten touc*, esset enim hoc genus contumeliæ molestissimum. Imò & magnopere cauent ne loquendo cum personâ primariâ excidat ipsis nomen, quod illa infans acceperat, sed quantuncunque illa fortasse res in sermonem venerit, abstinendum est semper ab eâ vocabuli appellatione, imò & idem commendatissimum habent quicunque in alterius domo loquuntur, etiam


absente

abſente domino, nam coram eius filiis turpiſſimum eſſet efficere hanc vocem, cuius potiùs ratio immutanda eſt. vt ſi vocatus fuerit *tien* quod quatrinum ſignificat, incidat autem ſermo de quatrinis, tunc omittenda erit vox *tien*, & altera iſta ſynonyma vſurpanda *toan* idemque intelligetur ab omnibus, ac ſi diceret *tien*, atque idem de reliquis omnibus iudicium eſt. Denique vbi quis fato functus eſt, nouum ipſi à filiis imponitur nomen, eius præſertim dignitatis, ad quam viuens aſpirauerat, tametſi nondum eam erat adeptus, huiuſmodi ſunt nomina regis, ducis marchionis, illaque maioribus expreſſa litteris deferunt in vexillo quod in funebri pompâ præferri diximus.

Atque hæc hactenus dicta ſint de moribus huius gentis, & genio loci, quæ vt opinor mouere Cordatiſſimum quemque poſſunt ad miſericordiam, quis? enim ſine dolore videat gentem verè ingenuam, & ad omnes virtutum ſatus excipiendos egregiè natam, tamdiù tamen viuere in errorum tenebris & ruere in exitium æternum. Speramus autem affuturam breui diuinam opem, & vincente diuinæ gratiæ virtute, dæmonis malitiam, peruenturos hoſce omnes populos ad Euangelij plenam lucem. Cuius primordia quo pacto illis affulgere cœperint reliquum eſt incipiam commemorare.

Finis Libri primi.

HISTORIÆ
TVNCHINENSIS
LIBER II.



DE INTRODVCTA IN REGNVM TVNCHINENSE, Christianâ fide, & felici eiusdem progressu.

Primus Euangelij in hoc regnum ingressus.

CAPVT I.



PATER Hieronymus Rodericus genere lusitanus Prouinciæ Iaponicæ, ac vice Prouinciæ Cinensis societatis IESV visitator, vir omnibus virtutum ornamentis inter nostros Clarissimus, postquam in Iaponiâ Collegium Nangaracniense, annis aliquot, summâ prudentiâ, & pietate gubernasset; coactus tandem est cum aliis pluribus Christi confessoribus ex eâ insulâ discedere, persequutionis procella in diem magis increbrescente; ac Amacuum remigrare. Qui Cinensis regni portus, licet admodùm inclytus sit in prouinciâ Cantonensi,

numeratus tamen hactenus fuerat inter Iaponicæ prouinciæ Collegia, & adhuc est missionum omnium nostrarum, in eas terras præcipuum, & fœcundissimum seminarium. Ibi optimus pater, cum tacitus secum sedulò perpenderet, quanta damna Iaponicæ vineæ, ferus aper intulisset, haberétque ad manum delectissimam eximiorum operariorum turbam, quibus præclusâ Iaponiâ nihil esset optatius, quam ad alias regiones quæ albæ iam viderentur esse ad messem, operam suam omnem, curasque conuertere. Cogitare cœpit de illis in vicina Circunquaque regna dimittendis in quibus diuinam sementem impigri spargerent, & Christi nomen nouis illis gentibus annunciarent.

Id Consilium postquam sibi diuinitus iniectum esse iudicauit anno huius sæculi 24. Patrem Gabrielem de Mattos Lusitanum qui procurator olim Iaponiæ Romam aduenerat, mittit, cum quinque sociis in Cocincinam, quod accepisset à Patribus ibi iam gnauiter laborantibus, vberrimam inde messem certò sperari posse. Eodemque tempore Patrem Cæsarem Margicum Italum destinat in regnum Siami, cum eximio Sanè fructu, nisi mors præmatura strenuissimo Christi pugili, per apostatas quosdam illata felicem Euangelij cursum miserè inhibuisset, & demùm anno 1626. P. Iulianum Baldinotti Pistoensem, addito illi fratre vno adiutore Iuliano Piani Iapone Lusitanam nauim conscendere iussit, quæ opportune tunc ad Tunchini regna, vela faciebat, vt tentaret num qua spes esset Euangelij gentibus illis prædicandi. Soluit ille vti Iussus erat secundâ die Februarij omnino commodè ac feliciter

ter

ter in feſtâ luminum ſolemnitate, magnæque virgini-ſacrâ,vt iam inde ominari fas eſſet quanta lux è Mariæ benigniſſimo ſinu illis terris ſe aperiret,feliciſſima fuit nauigatio ſtellâ illâ duce, paucíſque poſt diebus ad Tunchini portum, læti omnes appulere. Luſitanæ nauis aduentum vbi accepit rex Tunchinenſis, incredibili cum gaudio ſummáque humanitate aduenas excepit, & veritus ne quo forte caſu Luſitanæ naues deflagrarent, eo quod in ampliſſima illa ciuitate ligneæ ſint domus omnes, atque adeo etiam incendia frequentiſſima; iuſſit in ſuburbiis capaciſſimam domum extrui, vt in ea merces illæ omnes tutò reponerentur, datâ inſuper integra militum cohorte qui dies noctéſque ſtarent in excubiis domumque totam ſedulo cuſtodirent. Hinc ſtatim maxima vtrinque data munera, cum inſigni teſtificatione beneuolentiæ. Et prior quidem legatus Luſitanus pro more gentis eximiâ in donando vſus munificentiâ, accepit etiam viciſſim à rege dona pulcherrima & principe tanto digna: eodemque tempore P. Baldinotti religioſa quædam obtulit munuſcula quibus rex ſe mirificè delectari teſtatus eſt: ſed quod Patriæ linguæ bonus pater peritus non eſſet, neque ſatis idoneum interpretem nanciſci potuiſſet magno ſuo dolore coactus eſt de Chriſtianæ religionis theſauris nihil prorſus gentibus illis impertiri. Sed in eo tamen humili ſilentio,decoráque modeſtiâ id omnino aſſequutus eſt: vt Rex & proceres aduerterent latere in eo ſublimius aliquid, & diuinius, quod eos ad ſummam erga patrem reuerentiam inuitaret.


Accedebat prætereà ſingularis Luſitanorum erga

patrem obseruantia, quæ intuentium omnium, ac regis præsertim ipsius oculos rapiebat: admirabantur videlicet ducem ipsum auro fulgentem, & purpurâ, præclaro semper stipantium militum satellitio incedentem, tanto nihilominus honore ac reuerentia prosequi patrem Iulianum, qui religioso id est tenuissimo, & humillimo corporis habitu, & cultu, nihil præse ferret magnificum præter insignem modestiam, vt primas ei semper deferret partes, loco etiam ipsi cederet, atque in omnibus se inferiorem illo profiteretur vnde sapientissimè rex argumentabatur, latere in illo viro sublimius aliquid, quam quod externa illa, & contemptissima species oculis exhiberet. Ideóque mirificè illum vbique veneratus est; mittebatque crebrò ad eum, vnum quendam è præcipuis suis *Say* (sic illi religiosos appellant suos) quem ipse vt magistrum impensissime amabat. Eum sibi Pater Iulianus arctissimò quidem beneuolentiæ nexu obstrinxit, sed non ita tamen vt ad fidem Christianam perduceret, quod careret interprete, per quem nostra eum mysteria edoceret.



Operarij Euangelici Tunchinum euocati è Cocincinâ.

CAPVT II.



OBSERVABAT nihilominùs interea pius pater; mores optimos Tunchinensium, indolem ingenuam & amabilem, paratamque proculdubio regionem ad amplam messem, si modo adessent operarij qui linguam Callerent gentis

gentis, neque diutiùs differendum ratus negotium in quo tot animarum salus ageretur, statuit euocare socios aliquot è Concincinâ, quos sciebat strenuam ibi operam ponere in salutem multorum. Cum autem intelligeret, quantæ inter vtrumque regem inimicitiæ intercederent, veritus statim est, ne Tunchinensis audito eo litterarum commercio, veniret in suspicionem secretæ cuiusdam conspirationis, in caput suum, & perniciem regni sui. Quippe qui nosset Lusitanos optimè iam pridem erga Cocincinensem esse animatos. Commendatâ itaque Deo re totâ, vt potuit secretissimè magno conductum pretio tabellarium misit in Cocincinam cum litteris ad P. Gabrielem de Mattos, qui eius tunc missionis visitator erat in quibus monebat eum, de optimo statu Tunchinensis agri, ad Euangelij satus excipiendos, si modo aduenirent operarij qui eos iacerent. Singularem esse regis Tunchinensis erga nostros beneuolentiam, eximiam procerum omnium voluntatem, populi totius mores suauissimos & ad omnem virtutem addiscendam egregiè factos. Operariis solum opus esse: mitteret ergo sine morâ vnum aut alterum, è pluribus illis quos haberet in Conincinâ. Habituros ibi amplissimum ad labores Campum, & lauros plurimas ad Coronam. Sed quoniam periculi plenissima res erat rectâ viâ Tunchinum è Cocincina venire propter bella tunc ingruentia, consultiùs fore Amacaum versus iter flectere, inde faciles aditus futuros esse ad Tunchini terras.

Fœliciter aduenit tabellarius in Cocincinam cum epistolis, quibus perlectis exarsimus illico vniuersi cupiditate

cupiditate adeundi noua hæc regna, & diuinam lucem in illa inferendi. Ac eum ego duos circiter annos in addiscendâ linguâ illâ elaborassem, cogitare statim de me patres cœpere; licet omninò immerente, nec laboribus tantis pari, & ex templo dimiserunt Amacaum vt inde Commodum expectarem tempus Tunchinensis nauigationis. Dimissus sine morâ est tabellarius; ad P. Baldinotium cum responso per breui, sed periucundo, factum esse, vti erat postulatum, expectaret adiutorem curarum suarum & laborum socium, affuturum eum breuissimo vt fieri posset interuallo. Longa fuit tabellarij mora in reditu, quod maximam Patri Baldinatio iniecit curam ne forte interceptæ à rege Tunchinensi essent litteræ, imò & nos postea suspicati sumus, audiuisse illum aliquid de his litteris. Cum enim sub idem tempus timeret sibi à Lusitanis quos bellicâ virtute clarissimos esse nouerat exegit ab eis iuramenti solemnis fidem, cuius religionem sanctissimam apud illos esse intelligebat.

Præfuit sacramenti huius Cæremoniæ P. Baldinotius, ne quid fortassis Ethnici obtruderent quod à Christianis institutis esset alienum. Peractum autem est coram venerandâ saluatoris imagine, atque in eo professi sunt Lusitani, nihil se aduersus Tunchinensem regem, aut regnum eius machinatos vnquam esse, aut deinceps etiam machinari velle; appellare se sinceræ huius suæ mentis testem, supremum cœli & terræ dominatorem, vnum, verum Deum. Quo iuramento regi Tunchinensi omnis abstersus est timor; & suspicio, si qua eius animo insederat, deposita.

Sed

Sed quoniam toto eo tempore propter exortas turbas, parùm de negotiatione totâ curatum erat, duobus menſibus qui reliqui erant, ad tempus præſtitutum nauigationi, nihil ferè aliud agere licuit præter negotia mercatorum, ſicque paulò poſtquàm ego Amacaum è Cocincinâ deueneram, eodem etiam regreſſa eſt luſitana nauis atque in ea P. Baldinotius, nullum aliud totius huius laboris ſui referens operæpretium quam paratam nobis viam ad ſtrenuè ibi laborandum.



Euangelicorum operariorum felix ad portum Tunchinenſem appulſus.

CAPVT III.



SVB illud idem tempus commodùm venerat ex Indiis P. Andreas Palmerius Luſitanus prouinciæ Iaponicæ, ac Viceprouinciæ Cinenſis viſitator, quod idem munus in indicâ geſſerat annis octo. Et plures ſecum duxerat è ſocietate noſtra ſtrenuiſſimos dominicæ vineæ operarios. Cum ecce, nouæ ſubitò exortæ difficultates, Tunchinenſis expeditionis conſilia ferè diſcuſſerunt. Veniebat quippè in mentem luſitanis, primùm quidem ſe non ita pridem ſuſpectos fuiſſe regi Tunchinenſi, deinde antiqua cum Cocincinenſibus neceſſitudo, & beneuolentia, ac demùm nouerant vnum è proceribus eſſe in aula regia familiariſſimum principi, eique in paucis Charum, qui luſitano nomini

esset infensissimus, vnde sibi meritò timerent multas insidias, strui posse: obstabant præterea mercatores qui prioris anni nauigatione, conquerebantur se nihil prorsùs fecisse, lucri, propterea que vix vllus erat, qui se ipsum ac merces suas exponere vellet periculo, & de instauranda nauigatione cogitare.

Aliunde verò P. Iulianus licèt superioribus nostris magnã spiritualis profectus spem ostenderet; ipse tamen cum totus iam esset in paranda expeditione Iaponicâ ad quam cupidissimè inhiabat, Tunchinenses omnes Curas posuerat, quod idiomatis Tunchinensis esset inscius, Iaponicum autem optimè calleret; vnde nec potuerat adultis Christum annũciare, sed quatuor infantes morti iam proximos, lustralibus expiatos aquis transmiserat in cœlum, velut primos manipulos Tunchinensis agri, horreis Cœlestibus inferendos: atque illorum quatuor infantium, stantium ante thronum Dei & agni, precibus factum esse arbitratus sum, vt ad prædicandum in hoc regno Euangelium rebus triremis omnibus necessariis instructa fuerit, & ferentibus vsa ventis portum feliciter tenuerit.

Cum enim spes prope nulla superesset, inueniendi hominem, qui nouam hanc expeditionem suscipere auderet, inuentus tandem Amacai est nobilis Lusitanus opibus pollens, sed pietate clarior, cui nomen Ioannes Pintus de Fonseca. Is negotiũ totum cupidissimè aggressus, onerariam parauit, & magnificè instruxit, quin & nobis commeatum vltrò parauit pietatis, maiori accensus studio quam lucri: ratus nequaquam defuturam sibi mercedem tam eximij operis in cœlo, si emolumenti temporalis tunc copia minor esset, ea

re

re auditâ P. Palmerius, duos statim ad id munus obeundum designat P. Antonium Marquez Lusitanum, ætatis iam prouectæ virum, & maturæ prudentiæ, scientissimum missionum earum Orientalium, sed Tunchinensis tamen linguæ parum peritum, ac me quoque illi socium itineris adiunxit, & consortem laborum.

Anno itaque sexcentesimo 27. supra millesimum 4. idus Martias Magni videlicet Gregorij sacro die soluimus Amacao, & secundissimis ventis in Insulam Sanchoam delati, ex itinere inuisimus nobile Apostoli nostri Sancti Xauerij sepulchrum, ac deinceps Pelagus Gainamicum ingressi, placidissimè nauigauimus per ea maria, quæ cum pluribus procellis plerunque horrida esse soleant, tum eo tempore pacata & plane lactea fuere, fauente opinor, & ventis imperante Tunchinensis regni præside Angelo postmodùm autem nauigationis die 7. cum propè iam esset vt læti portum ingrederemur; exortâ sub noctem repente tempestate in altum repulsi, luctari cœpimus cum fluctibus, & spectris quorum horrifico aspectu, nautæ terrebantur. Durauit autem procella vsque in 19. Martij Sancto Iosepho festum diem. Tunc enim magni illius Patriarchæ iussu, posuere venti, & euanescentibus dæmonum larus, totoque maris furore placato, per commodum portum subiimus, quem Tunchinenses dixere hactenus *Eua bang* nos ex patrono dici quo ad illam appulerat nauis, Sancti Iosephi portum deinceps nominandum censuimus, præparabat videlicet Dei prouidentia nutrix Optima Ecclesiæ Tunchinensi mox

nasciture, eundem illum nutritium, cuius curæ ac fidei filium suum vnigenitum crediderat. Explorauit itaque Nauarchus primùm stationis opportunitatem, deinde cum extensionem commodissimam ibi fore iudicasset, direxit eo vela, & lætissima omnium gratulatione portum inuecti sumus.

Vix terram attigeramus cum ecce tibi frequens, & & gratulabunda, è vicino pago Tunchinensium turba plenis ad nos scaphis accedit, cupidéque interrogat quinam & vnde simus; quidve nouarum mercium asportemus. Quibus ego statim, omnium nomine, quorum interpres tunc eram, nauim hanc esse Lusitanorum, quorum gloria omnes orientis terras, latissimè peruagata esset; tum propter bellicam eorum laudem, tum proter pretiosissimarum mercium raritatem quas nauibus importabant suis. Nunc autem ea naui margaritam deferri pulcherrimam, & exquisitissimam, quam qui Coemisset, is proculdubio tota reliqua vita diues, & in æuum etiam omne beatissimus futurus esset: neque vero debere quemquam de pretio esse sollicitum, neminem esse adeo egentem, qui ad eam comparandam satis diuitiarum non esset habiturus. Ad has voces exultare omnes gaudio, atque auide expetere, magnæ illius ac nouæ gemmæ saltem conspectum, tùm ego negaui esse illam huiusmodi, vt corporeis oculis conspicua tanta eius species esse posset; non patere illam nisi mentibus, & intelligentiæ, cuius esset ratio & sagacitas, verum discernens à falso. Illam enim non esse aliud quam veri Dei certam, & ratam legem, omnibus Indiarum gemmis, mercibusque pretiosiorem, quod sola illa sit ad

æternam

æternam & fœliciſſimam vitam via. Eam nos edocere ac palam proponere paratos eſſe : non alio conſilio ingentia emenſos maria Tunchinum aduenisſe.

Vbi audiuit multitudo auida ; legis nomen , quam litterati , *dau* , plebeij *dang*, ideſt viam nuncupant, exquiſierunt confeſtim quæ nam vero ſit noua illa, & tam ſancta lex, quam annunciare pararemus. Hic ego peropportunam occaſionem dicendi nactus ſermonem exorſus ſum à primario rerum principio & authore Deo. Cum enim totâ illâ linguâ vocem vllam vix inuenirem, quæ ſatis idonee Deum optimum maximum exprimeret, ſtatui non aliud mihi vſurpandum eſſe nomen quam ſupremi opificis vniuerſorum. Quod enim ipſi *Phat* & *But* nominant, id nomen eſt potius Idoli neſcio cuius, quàm veri ac ſummi Dei. Cum itaque ſcirem quàm malè apud primarios quoſque ; ac præſertim Doctores audirent Idola, abſtinendum mihi prorſus duxi ab eâ nominis appellatione, atque illud ſolum vſurpandum, quod à magno Apoſtolo aſſumptum memineram Athenis in Areopago. Hic Cœli & terræ cum ſit Dominus. Eo enim mihi ſimiliter vtendum putaui, vt magnum aliquid, & tantâ dignum magni Dei Majeſtate conciperēt animo hi populi quibus Deum annunciabam. Neque me ſpes fefellit. Cum enim in primo illo introitu ſermonis aſſererem veram illam legem, in eo potiſſimùm ſitam eſſe, vt verus Cœli ac terræ Dominus ritè colatur, duo ex primariis, & nobiliſſimis in illo cœtu auditoribus Chriſti fidem amplexi ſunt, ac paucis poſt diebus, de neceſſariis rebus eruditi cum familiâ quiſque ſuâ baptiſmum ſuſcepere : primo

Iosephi nomen est inditum, ad memoriam Sancti Præsidis cuius auspiciis, & festâ solemnitate Tunchinum appuleramus; secundum diximus Ignatium ex optimo & suauissimo Patriarchâ nostro.



Multorum ad Christi fidem conuersio, in pagis vicinioribus.

CAPVT IV.

INTERIM dum de aduentu nostro perferuntur ad regem nuncia, quindecim diebus commorandum nobis necessariò fuit in oppido Sancti Iosephi, id autem tempus nobis commodissimum visum est vt Circuniacentibus latè populis, viam salutis edocendis sedulò insisteremus. Cum ergo ex pagis omnibus frequentes ad nos fierent concursus hominum quorum Deus tetigerat corda; prima nobis, imo magis Christo, eaque sanè opima præda fuit ludimagister quidam celeberrimus, & vicinis circunquaque pagis notissimus. Is enim cum priùs litteras Cinenses cum plurimis erroribus pueros docuisset, seriò ad fidem animum adiecit. Et cum familia omni amplexus est Christum, ex magistro erroris, repente factus discipulus & Doctor veritatis. Tradidimus enim ei statim ex scripto quotidianas Christianorum preces, vt eas ipse addisceret, & doceret cæteros diebus maximè dominicis, atque in eo munere vicarium illi adiunximus filium, indole optimâ iuuenem & Cinensibus litteris egregiè imbutum.

Venit

Venit ad me, illo eodem tempore sortilegus quidam, in alterâ fluminis parte omnibus notus; qui domi vigintiquinque aras dicatas habebat dæmonibus, vexabaturque ab illis crudelissimum in modum. Venit igitur ad me vt exquireret vtrum ab eo tam feroci Domino liberari meâ ope posset. Si eriperetur tam infesto carnifici, totum se statim in potestate meâ futurum; nos illum confestim omni metu liberum esse iussimus, crederet tantum in Christum, & salutare ipsius signum; crucem scilicet, obiicere auderet hostibus, eo viso abscessuros improbos spiritus, neque ipsi vsquam molestos futuros, ac tum quidem, armatum illum cruce; sed baptismo tamen dilato ad aliquod tempus, dimisimus, vt interim aras illas omnes prophanas dirueret; diruit autem quam primum, & domum totam benedictâ respergens aquâ, liberatus ab omni molestiâ infestorum Læmurum in numerum filiorum Dei per baptismi Lauacrum adlectus est.

Versabatur in eodem Pago Ethnicus alter, domi nobilis, & magnæ inter suos authoritatis. Ille hactenùs tàm impenso cultu idola veneratus erat; vt eà superstitione superare reliquos omnes vulgò putaretur; sed eorum tamen vana mendacia, vbi accepto cœlitùs lumine agnouit, damnare illicò cœpit priorem vitam, & Christianis imbutus sacris, prophana dimisit templa, quin & reliquorum etiam neophytorum doctor constitutus quà verbo, quà exemplo ad omne pietatis officiũ omnium animos mirabiliter incendebat: Agebantur eo tempore, maioris (vt Christiani vocamus) hebdomadæ sancti dies quos pro eo vt decet, cum celebrare cuperemus deuotissimè, author fuit P. Marquez

vt

vt sanctissimæ crucis signum, quantâ maximâ possemus Cæremoniâ, & apparatu à nobis, & à Lusitanis omnibus erigeretur, in præcelsi montis vertice, vnde toto latè mari conspicuum esse posset, placuit omnibus consilium, quibus æquissimum visum est toto eo tempore passionis Christi Domini memoriam peragere: vt agnoscerent neophyti quantà veneratione prosequi deinceps deberent sacrum illud vexillum. Tum etiam vt eo solemniter erecto ac consecrató dæmon ipse intelligeret, nihil sibi reliquum esse in illis terris, à quibus Christi victoris potentiâ depelleretur. Christum enim solum posthac ibi regem ac supremum gubernatorem futurum. In eo enim monte templum erat, nefariç illi meretrici sacrum, quam à Cinensi rege patre suo demersam ob turpissima scelera, olim retuli. Quoniam vero integrum nobis non erat prophanam hanc ædem solo æquare, id saltem ad pudorem dæmonum perficere constituimus, vt dedicatâ Christi cruce, in eminentiori montis vertice, qui etiam templo dominabatur; territus nequam spiritus loco cederet.

Igitur èxsecta primum est è vicino nemore arbor Procerissima, atque in crucis figuram scitissimè conformata: tùm sextâ feria hebdomadæ illius sanctioris, frequentes conuenere fideles omnes ad solemnem pompam, & imposito humeris suauissimo illo crucis onere, processere ad destinatum montis cacumen, atque in eo trophæum Christi seruatori securi defiximus. Præmissáque Christiano ritu benedictione proni omnes, & adorabundi, procubuimus, venerantes in eo Christum, & dæmonem execrantes. Accepimus deinde

regem

regem ipſum, cum per maria monti ſubiecta; cum exercitu vela faceret, conſpectâ eminùs cruce quæſiuiſſe, quidnam hoc eſſet rei, & num illud eſſet ſignum quod Luſitani tantâ veneratione colerent. Repoſuit vnus è proceribus Chriſtianorum amantiſſimus. Huiuſmodi eſſe labarum illud, vt in quâcunque regione ſcirent Luſitani erectum illud eſſe, in eam libentiſſimè cum omnibus diuitiis, atque pretioſiſſimis mercibus conuenirent, eo audito rex aduertit attentius ad ipſam crucem, defixiſque diu in eam oculis de illâ ibi erectâ ſibi, ac regno toti gratulatus eſt,



Primus noſtrorum in regiam ad regem ipſum ingreſſus.

CAPVT V.

INterim dum hæc agimus, & in toto eo portu Chriſtum pro virili annunciamus, cui duo & triginta nomen dant in Baptiſmo, adeſt tandem expectatus à rege nuncius, ſignificatque illum è regiâ ciuitate iam egreſſum; magnis itineribus aduerſus regem Cocincinæ cum exercitu proficiſci; ſed ab eo tamen expectari, & euocari Luſitanorum delectam manum, cuius conſpectum cupidiſſimè deſideraret. Nihil potuit nobis eo tempore iucundius contingere. Ideoque omnibus ſtatim in portu valere iuſſis, ac confirmatis neophytis in fide, nauim conſcendimus ab Eunucho præparatam, & biduò poſt, deuenimus in ampliſſimum quoddam flumen, latitu-

dine vt ego quidem coniiciebam ſex milliarium Italicorum. Per illud nauigauimus dies aliquot, ac tandem regem inuenimus cum naualibus copiis numeroſiſſimis & eximiè inſtructis, hoc fere ordine.

Antecedebant regem triremes ducentæ, affabrè factæ, multoque auro, ac picturis egregiè ornatæ, militum in his plurimæ cohortes, omnes in armis veſtituque, quem aliàs deſcripſi, ſed pileo purpureo, & rotundo, procedebant triremes tanto cum ordine, vt terrori ſimul, & voluptati eſſet ille tam multiplex & varius aſpectus; ſed nihil tamen mirabamur magis, quàm remigantium eximiam induſtriam. Mouebantur enim tam iuſtâ, & æquabili concordiâ, vt vnum omnes viderentur eſſe corpus, & eâdem virtute agitari. Sequebantur triremes aliæ viginti quatuor, in quibus rex ipſe cum prætorianis cohortibus vehebatur. Nitebant illæ auro plurimo, carbaſinis prætentæ velis, funibus ſericis, ac purpureis. In medio earum vnam vidimus cæteris capaciorem, ac locupletiorem, atque in eâ regem, ad quem humaniſſimè admiſſi ſtatim ſumus cum incredibili ſignificatione beneuolentiæ.

Primùm autem obtulere Luſitani munera, tempori accommodata, arma ſcilicet præclariſſima, quibus vteretur ipſe rex in præliis, & nos quoque modica quidem ſed religioſa quædam dona dedimus, quibus maiorem in modum delectari viſus eſt Rex, qui ſua viciſſim ſingulis munera rependens, omnes incredibili beneuolentiâ deuinxit. Neque verò tunc potuit diu cum Luſitanis colloqui, quod in belli cogitatione totus eſſet, ideoque dimiſſis illis, iuſſit tamen vt ſeque

ſequeretur exercitum oneraria noſtra, donec ipſe decerneret portum, in quo commoda nobis eſſet ſtatio, vſque ad exercitus reditum è Cocincinâ. Itaque regium illum exercitum, aliquandiu ſequuti, reliquum omnem apparatum bellicum opportunè vidimus, & ingentem illam nauium copiam, quæ primo agmine maior erat præter quàm Cymbarum & Myoparonum multitudo, erat ſanè innumerabilis ad vehendas ſarcinas, & mulieres etiam ipſas, quarum pars maxima, in viciniore prouinciâ *Thinhoa* dimittenda erat, eo quod tutiores ibi eſſent futuræ ab hoſtium incurſibus. Ad hæc quingentis quoque aliis onerariis portabatur neceſſarius ad tantas copias commeatus: numerabantur enim in exercitu partim terreſtri; partim maritimo, pugnatorum millia ducenta, elephanti trecenti, qui bellica traherent tormenta.

Interim autem dum regem ſequimur, opportuniſſima ſæpius ſeſe obtulit occaſio, benè de plurimis merendi, ad eos enim qui ad nos vndique conueniebant frequentiſſimè de diuinis rebus loquebamur; & de Chriſti lege palam dicentes audiebamur attentiſſimis auribus, & animis. Sed nemini tamen in tantâ illâ rerum perturbatione perſuaſum eſt vt Chriſtum ſuſciperet. Cùm autem in ampliſſimo quodam Campo, non procul à pago cui nomen *anbuc* rex exſcendiſſet, ad ſolemne ſacrificium peragendum, è regione altiſſimi cuiuſdam montis, cuius in vertice ſupremo templum eminet idolis dedicatum, caſu accidit vt miles ex Elephanto in proximi fluminis alueum propè mergeretur: atque ſine morâ ex aquis extractus pro mortuo diù habitus eſt, donec ad eum

nos accedentes, fusis coram ingenti circunstantium coronâ multis precibus , medicamenti etiam aliquid adhibuimus, tam felici successu , vt miles repente surrexerit incoluncis, & ad solita etiam munia redierit. Obstupuere ad tam repentinam valetudinem spectatores omnes; atque paulò post auditâ eâ, Rex factum magnopere approbauit,& nostros etiam laudibus ornauit.

Cum autem commodissimam eam iudicaret esse stationem , Lusitanam nauim subsistere iussit in eo portu , ex quo deinde illam secum reducturus esset: eius ergo custodiæ præfecit Eunuchum quendam notissimæ probitatis,magnæque apud omnes famæ ; cui Lusitanos omnes impensissimè commendans imperauit , vt in fidem suam , & Clientelam illos susciperet, atque omni periculo eximeret. Præstitit id ille vti potuit cumulatissimè , primumque percommodam nobis è ligno extruxit domunculam in quâ dedicatum statim est sacellum , vbi solemni ritu , & summâ Lusitanorum omnium gratulatione , sacra saluatoris imago ad omnium venerationem exposita est.

Hic ego,antequam ad ea quæ posteà sequuta sunt deueniam, obiter dicam de causis belli huius quod Rex tanto studio gessit. Superiore libro narrata est *Ciüa on*, primi regis Cocincinẽsis nefaria proditio. Is enim cum à Tunchini rege cognato suo missus esset gubernator illarum prouinciarum , excussit ipse Iugum ac tyrannicè dominationem omnem inuasit. Plurima dehinc sequuta bella ; demùm sancita inter vtrunque pax est cum onere tributi annui , à Cocincinæ rege persoluendi. Religiosè id pluribus annis seruatum est, do-

nec

nec pertæsus seruitutis, atque impatiens Iugi tertius ab illo primo inuasore rex, cogitauit de negando vectigali debito, præsertim cum ex Lusitanorum crebrò in Cocincinam commeantium amicitiâ, & societate factus esset animosior, Atque ad arma promptior: hanc autem exequendi huius consilij sui rationem iniit, legatum solito more destinauit ad Tunchini regem, duasque illi Cistas tribuit egregiè ornatas, & pretiosissimis plenas donis, quæ partim acceperat, à Lusitanis, partim ex Cinis, aut etiam Iaponibus Coëmerat. Mandat autem legato, vt nouum Tunchini regem primùm salutet. Vnamque illi è Cistis offerat, & alteram eodem tempore cæteris regni proceribus, rege ipso præsente ac inspectante.

Id cum legatus accuratè peregisset, odoratus rex id quod erat, & vehementiùs iratus, itáne? vero inquit tuus me ludit herus, & in partem imperij subditos meos vocat, Quos æqualibus mecum donis afficit. Age inquam, & ad illum properè aduola, suas sibi Cistas habeat, & munera omnia: ego ipse tributum ex prouinciis illis meis citò repetam, bellum sedulò paret, & certas tantæ temeritatis expectet pœnas. His dictis legatum cum allatis muneribus remittit, & ad bellum de quo diximus, cogitationem omnem ac curam adiicit.



Magni Ethnicorum concursus ad audiendum in primâ Tunchinensium Ecclesiâ verbum Dei.

CAPVT VI.



VBI primùm ad ministeria nostra ritè obeunda locum satis idoneum nacti sumus, maximi statim vndique facti sunt ad nos concursus. Atque in his plurimi auidissimis auribus excipientes verbum salutis, baptismum suscepere, quorum plerique sacrificuli erant idolorum. Primus omnium reliquos exemplo suo docuit, vir eximius, & Saiorum antiquissimus. Quem in eà regione omnes alij obseruabant vt patrem. Agebat ille tunc ætatis annum quintum, & octogesimum, cum salutaribus baptismi aquis in vitam nouam restitutus ac plurimos omnis sexus, & conditionis homines secum Ecclesiæ matri aggregauit. Nihil autem erat in optimo illo sene quod mirarer magis, quàm incredibilis quædam, & perpetua cupiditas addiscendi fidei mysteria, quorum amore sic tenebatur, vt à nobis auelli, nullâ vnquam ratione vellet, vocaueram ego semel adolescentem quendam neophytum, ad pias orationes describendas, quibus Christiani nostri vterentur, venit ille horâ postmeridianâ quæ senioribus vulgò, adquietem concedi solet; id vbi bonus senex experrectus a somno didicit, iniuriam sibi factam interpretatus, grauissimè conqueri cœpit, postpositum se in eo gratissimo munere fuisse iuueni.

Æquum

Æquum enim omninò videri, vt qui tandiù erroris venena tradidisset is ad veritatem edocendam, aliis omnibus præferretur. Eâ ego tam piâ delectatus querimoniâ, cœpi polliceri, daturum me operam deinceps, vt sanctis huiusmodi officiis, feruentem eius zelum sæpe satiarem.

Sed neque satis ei erat, hunc tam assiduum laborem pro vtilitate Christianorum suscipere. Cum enim videret arctiora esse nouæ huius Ecclesiæ spatia, quam vt confluentem ad nos vndique multitudinem possent capere, vicinum campum lubens obtulit, vt in eo capacior extrueretur Ecclesia, quod & statim fecere Christiani, ad cuius solemnem dedicationem omnes conuenere Lusitani, cum neophytis, & pulcherrimâ pompâ totum munus obierunt.

Accidit eo ipso tempore, vt quidam regiæ cohortis miles, graui, & subito correptus morbo, morti proximus videretur: neophyti, vt eum in tanto salutis æternæ periculo videre constitutum, venere statim ad nos, obsecrantes, vt miserum hominem adire, ac certæ damnationi eripere conaremur. Factum est, vt expetebant, adimus decumbentem, monemus de instante postremo die, in quo ad diuinum tribunal deducendus esset; & in eo seuerè iudicandus, nisi priùs Christum seruatorem agnosceret, ac per eum à peccatis elueretur. Audit ille sermones nostros aure attentissimâ, baptismum postulat, suscipitque deuotissimè moriturque paulo post inter pia gaudia, & perpetuas de agnito Christo gratulationes. Nos eius funus quantâ maximâ potuimus pompâ publicè peragendum curamus, comitante Lusitanorum omnium, atque

atque neophytorum frequenti turbâ. Quo spectaculo plures ê paganis delectati, ad fidem etiam amplectendam subitò inducti sunt.

Aderat eodem in loco regis soror. Quæ auditâ Christianorum erga militem illum pauperculum tantâ charitate, magno quodam exarsit desiderio videndi nostros, atque de nouâ hâc lege aliquid audiendi Euocari nos iubet: & venientes summâ beneuolentiæ significatione accipit, quæritque multa de religione, quam ex peregrinis terris inueheremus. Nos oblatâ eâ tam præclarâ facultate Christum annunciandi, dicere cœpimus ad frequentem coronam ducentorum militum, qui regiæ mulieris stipatores erant, & fidei nostræ præstantiam exposuimus. Obierat fœminæ huic ante menses paucos, maritus, vnicè dilectus, atque inter primarios regni proceres celeberrimus. Rogauit ergo ante omnia, quonam nos egentissimi militis merito permoti, tantis eum & viuentem, & mortuum officiis curare dignati essemus. Respondi ego nihil nos spectasse illius merita, gratuitum prorsùs fuisse illum hominis miseri amorem, sed Christo tamen Deo nostro maximè debitum, per quem ille baptismo lustratus adoptatus in hâc vitâ fuisset in filium: in alterâ verò vocatus etiam in partem æterni regni.

Ad hæc illa, incredibiliter obstupescere, cumque de se nihil admodum sollicita, tota in maritum intenta esset; multo cum fletu interrogare, num religio illa nostra tam præstans, & sancta subsidij aliquid marito suo defuncto præstare posset. Nihil esse quod vel optaret magis, vel iucundius audiret. Ego inclinato

inclinato paululum capite, prophetæ vnius è nostris oraculum illud fixum ac ratum esse pronunciaui in quancunque partem arbor ceciderit ibi erit siue ad austrum siue ad aquilonem. Missos nos esse à summo cœli, ac terræ Domino, vt viuentibus certam salutis viam indicaremus, eorum esse neminem, quem, si vellet ab æternâ morte non eximeremus. Semel in infidelitate mortuis nihil omnino spei vel præsidij esse posse ad veram illam vitam. Audiuit hæc illa multo cum gemitu, sed sibi tamen, ac saluti suæ parùm prospexit. Longè verò prudentiùs, ac cautiùs pleræque aliæ mulieres, his sermonibus commotæ, statuerant sibi ipsis ante obitum prospicere, quarum vna sic secum ipsa cogitare cœpit. Si homines isti quos audimus, regiæ sorori afflictissimæ adulatoriè magis placere studerent quam vera dicere, nihil sanè nunc esset vel gratiæ, vel beneuolentiæ quod ab ipsâ non possent sperare. Si autem duntaxat spondere se affirmarent aliquod auxilium defuncto illi principi, ecquis mendacij conuincere posset ita pollicentes. Cum igitur illi tantam vim opum pro nihilo habeant, quam nullo negotio possent assequi, prædicant haud dubiè nobis vera, & certa, eaque nos si amantes sumus salutis, amplecti seriò debemus. Sic illa primum quidem apud se tacita statuit, ac postmodùm cum aliis pluribus quas illa Christo lucrata erat, fidem & baptismum cupidè suscepit Monicæque nomine donata est.


Soror autem illa regis tametsi neglexit monita salutis, neque sibi per baptismum consuluit; sollicitè tamen curans, vt viri sui mater vetula, & morti

proxima Christiano baptismo ablueretur, id quod à nobis enixissimè illa postulauit. Felicissimâ sanè moribundæ fœminæ sorte, quam vbi Christo aggregatam, Annam nuncupauimus, eam Deus breuissimo interuallo postea defunctam beatorum suorum numero (vti speramus) adscripsit.



Alij plures ex pagis vicinis fidem amplectuntur.

CAPVT VII.



Æc dùm aguntur, latè per vicinos pagos, nouæ huius fidei ac religionis fama volat; plurimosque quotidie Christo aggregat. Id quod vnus è primariis prouinciæ gubernatoribus postquam audiit, exarsit cupiditate addiscendæ tantæ rei, nosque ad se accersitos cupidè interrogat, ecquid tandem esset noua illa lex quam ex orbe vltimo adduxissemus. Nos hic Christum prædicare studiosè aggressi, fidei nostræ dignitatem & mysteria exponimus. Quæ omnia ille placidissimè quidem audiuit, sed quod abundans opibus, & terrenis affixus, fastidiret cœlestia, nihil illis commotus est ad viam salutis ineundam, sed aliis tamen quam plurimis fuere vtilissima, quorum corda hac data occasione, cœlestis aura benignius afflauit, & ad veram fidem perduxit. Præter cæteros autem, celeberrimus quidam sayus, conuersione mirabili ad Christum fideles omnes magnopere delectauit. Præerat illi templo Idolorum, quod olim dixi in modum pyramidis, eminere

nere conſpicuum in ſupremo montis cuiuſdam vertice. Tantùm verò apud regem valebat gratiâ, & apud Tunchinenſes omnes authoritate vt in Cocincinenſi expeditione rex preces ab eo poſtulauerit, & à populo paſſim tanquam ſanctus haberetur: at ille vbi melioribus ſacris eſt inſtitutus, idola ſtatim cœpit deteſtari, & totum eorum cultum vt prophanum reiicere: ſuſcepit autem piiſſime baptiſmum cum familiâ vniuerſâ: Ioannes in eo dictus, & vxor Anna quorum exemplo multi ex eodem pago poſtea incenſi, magiſtrum eum habuerunt ſalutis, quem ſæpe ante Doctorem erroris audierant. Domum quippe ſuam, conuertit in domum orationis & Eccleſiam in quâ ipſe in edocendis diuinis myſteriis totus erat, virumque impigrè iuuabat in eo munere pia coniux, quæ mortuo etiam marito idem vitæ inſtitutum tenens, innumeros homines præſertim conſanguineos Chriſto adiunxit.

In altero quoque pago, qui ſitus in altera parte fluminis *vanno* dicitur vetula quædam erat Idolorum ſuperſtitionibus mirè dedita, illa vbi fidem amplexa eſt tantum feruoris concepit animo, vt omnes ad baptiſmum continuò vocaret. Angebatur tamen intimis ſenſibus quod virum deuexæ iàm ætatis hominem illicitis adhuc irretitum amoribus, nondum poſſet ad Chriſtum, & pietatem traducere. Sed vicere tandem Linæ preces (id enim piæ mulieri nomen erat) depontani ſenis improbitatem, paſſus enim demum eſt, eripi ſibi nequiſſimam pellicem, & ſacro baptiſmi lauacro expiatus, vnâ cum liberis omnibus etiam ex adulterâ ſuſceptis duplici victoriâ coronatus eſt, & ſuperatæ

infidelitatis, & compressæ turpissimæ libidinis. Exultabat in hâc mariti sui tantâ felicitate, coniux deuotissima,& per opera pia quotidie satagebat, vt plurimi ad eandem baptismi gratiam accurrerent. Imo & in egentium neophytorum subsidium curauit erigi domum,quæ peregrinis hospitium esset,& ægrotantibus xenodochium.prope aberat ab Ecclesia nostrâ, Ethnicorum Elephantiacâ lue laborantium habitatio. Affluxit statim ad eos rumor de nouâ quâdam doctrinâ quæ sectatoribus suis certò sponderet æternam, post vitæ huius ærumnas,salutem. Nihil miseris optatius poterat contingere, quàm remedium tot malorum. Excepere auidis animis nuncium adeo salutare : atque omnium primus agmen duxit Simon quidam Cinensium littererarum doctrinâ excultissimus, deinde verò Christianæ pietati adeo deditus, vt precationes omnes nostras cum præceptis decalogi, aliisque omnibus Christianis officiis, primùm ipse sedulò addisceret,deinde sociis omnibus accuratè traderet,ac diebus etiam omnibus festis publicè recitaret, vt quos morbi tabes, Ecclesiæ ingressu prohiberet, ij saltem priuatim munia omnia obirent homine Christiano digna.

Sayorum



Sayorum inanes conatus, & plurium ad fidem conuersio.

CAPVT VIII.



CVm autem adeo prosperum res nostræ cursum tenerent, non poterat se vlteriùs continere dæmon, quin per impios emissarios, profanorum sacrorum ministros conceptam in seruos Dei rabiem effunderet. Cum enim viderent Sayi quotidianos fieri ad fidem suscipiendam multorum concursus, die quâdam cœpere omnes facto agmine ad nos conuenire, nouam hanc doctrinam nostram traducere; iactare minas, exposcere à nobis vt disputatione factâ, errores nostros publicè conuellere liceret. Nos mirari dementium hominum temeritatem, & optatissimam facultatem nacti, conuincendæ impietatis, annuere nihil esse quod iamdiu magis expeteremus. Effecturos nos breui, vt vel auditâ veritate resipiscerent, vel neglecta, Pœniteret eos proiectissimæ audaciæ aggredimur ergo demonstrare quam essent vera quæ de religione nostrâ diceremus, quam fatua, & inania quæ illi pro superstitione suâ opponerent. Applaudebat dicere volentibus, frequentissima gentilium corona, optabatque audire hinc inde disputantes. Sayi contra nihil timentes magis, quàm errores, palam cum supinâ ignorantiâ prodere, concertationem abnuebant, & chartulam tantum quandam, confictis in nos ple-

nam contumeliis recitare contendebant. Nos verò, totaque concio, ridere nefarios impostores, & vanarum calumniarum consarcinatores, conuicturos nos facillimè inania mendacia, quibus fama nostra petebatur. Audirent tantùm quæ nos de Deo nostro dicturi essemus: aures & animos ad mysteria tanta panderent occluderent ad nugaces fabulas, & prophana somnia.

Tùm ego inspectantibus omnibus, aperire atque in altum tollere cœpi sacra biblia; & quantâ potui voce illud ex primo Genesis distinctè intonare in principio fecit Deus cœlum, & terram. Siluere omnes etiam Ethnici ad hæc verba; & prolatæ sententiæ, declarationem patriâ sibi linguâ fieri expetentes, damnauere Sayos, qui strepitu facto, & clamoribus inconditis omnia miscebant; donec tandem potentissimi cuiusdam Eunuchi aduentu territi, deposuere audaciam, & inter minas, ac probra, furibundi abscessere. Reliquere autem nobis liberum spatium opportunè dicendi ad frequentem turbam de propositis scripturæ sacris verbis, quod & magno cum gaudio âc approbatione plurimorum, accuratè fecimus: constititque operæ fructus, nam maiores deinceps ad nos facti sunt concursus, & plures, agnito errore, damnauere tenebras suas, & Euangelio credidere.

Fuit autem alia quædam occasio grata in primis nobis, & fidei prædicandæ opportunissima: adiacebat habitationi nostræ, publica platea, frequentissimo semper plena populo hic nos aliquando dicere aggressi, & futuræ vitæ magnitudinem explicatiùs proponere, tantos repentè vidimus existere motus ani-

morum,

morum, vt plurimi meliora cogitantes, capessere decreuerint viam salutis quam videre cœperant. Præter cæteros autem litteratus quidam iuuenis, moribus etiam nobilior, quàm scientiâ, vix finitâ concione, totum se deuouit Christo, atque optabat etiam adiungere se nobis socium laborum, nisi vxori paucis anteà mensibus mancipatus fuisset; neque tamen destitit postea, omni nos operâ suâ, & opibus impensè iuuare.

Idem in aliis plerisque pietatis ardor accensus est, inter eos erat neophytus quidam prouectæ iam ætatis & virtutis, qui cum ex *Haiam* pago viciniore venisset ad fidem, tanto flagrare cœpit desiderio reuocandi suos ab errore, vt in eâ vnâ cogitatione dies noctesque defixus hæreret. Audiuit autem aliquando, fœminam nobilem ciuem suam malé à dæmonio vexari quod ille non ferens instantissimé statim monuit, vnum illi remedium salutis esse si Christum vellet profiteri, abscessurum illicicò iniquum hospitem, audito Christi nomine. Paruit illa, & fidem cum baptismo suscipiens corpore simul ac mente libera euasit à malo dæmone, quem vt totâ etiam domo, exire cogeremus, ad eam nos quàm primùm accersiit.

Regis



Regis Tunchinensis é Cocincinensi expeditione reditus.

CAPVT IX.

DVos iàm menses in expeditione Cocincinensi, Tunchinensium rex consumpserat, eoque tempore nos in prouinciâ *Thinh hoa* eius iussu commorati, ducentos circiter Christo adiunxeramus Neophytos. Cum autem videret difficiliores esse, quàm sperauerat, aditus in hostile regnum, ac suorum etiam insidias metueret, cogitare cœpit de reditu, copiasque partim fractas, partim fatigatas reduxit in patriam. Non deerant qui dicerent offensum esse, atque alienatum à Lusitanis, regis animum, quod certò comperisset visos esse in Cocincinensi exercitu plures Lusitano habitu, vulgoque iactaretur aduènisse in Cocincinam auxiliares eorum copias, quod Tunchinensi regi erat haud dubiè molestissimum. Verum rescitum posteà est fraudem eam, & stratagema fuisse Cocincinensium, qui vt hostes arte vincerent, quibus robore inferiores erant, stramineas quasdam statuas Lusitanico habitu in præcelso montis vertice collocauerant, oblongo armatas baculo instar catapultæ, quorum specie obiectâ decepti Tunchinenses prælium detrectarunt.

Altero prætereà, & Tunchinensibus copiis acerbiori stratagemate Cocincinenses ingeniosissimè vsi sunt. In primis Cocincinæ iuxta Tunchinum finibus, portus

portus eſt, quem dicunt incolæ *Cua Sai* per quem neceſsè omninò erat tranſire naues Tunchinenſes priuſquàm in terras hoſtium appellerent. In eo ergo portu, imò & in toto ampliſſimi fluminis alueo, Cocincinenſes Craſſiſſimos ex vtrâque rippa ſubtendêre funes præacutis intextos clauis, & pluribus implicatos tribulis, vt nimirùm triremes ſecundiſſimo vento in portum delatæ, quo inueherentur celerius, eo funeſtiùs in occultos illos laqueos impactæ, mergerentur: neque ſpes ipſos fefellit, cum enim velis remiſſque expeditiſſima illa Claſſis, hoſtiles triremes adorirerur, incidit repentè in latentes pedicas atque iis miſerè impedita, deuoluitur in fluctus, & naufraga obruitur; milites vero ac remiges, luctati aliquandiù cum aquarum vorticibus, incidunt in funes & clauos & fœdum in modum lacerantur: ferunt periiſſe illic, abſque vllo conflictu Tunchinenſium ad tria millia, ſpectantibus ex aduerſo, & otiosè triumphantibus aduerſariis.

Non defuere tamen plures è Tunchinenſibus, quibus in tantâ ſuorum clade, intrepidus fuit animus. Auſi enim ſunt adhuc, plerique inter eos laqueos periculum contemnere, euasêre in terram, aciemque ex hoſtium aduerſo inſtruentes, vlciſci parabant prælio fraudem illatam. Sed rex præſentis periculi ſpecie deterritus, & vlteriores etiam inſidias reueritus repreſſit impetum ſuorum, receptaque in naues imperato, maluit re infectâ in patriam regredi, quam experiri deteriora.

Aduentu igitur regis vulgato, magna Luſitanis omnibus iniecta eſt cura; quonam ille modo in ipſos animatus

matus veniret. Ac nos totâ primùm re Deo enixissimè commendatâ, in ancipiti eo negotio statuimus præire Lusitanis viam ad ipsum regem, venire ad eum, & felicem gratulari reditum. Libellum tunc habebamus de Sphæra Euclydis, Cinico idiomate conscriptum à nostris patribus apud Cinas degentibus, & figuris etiam Mathematicis pulcherrimè ornatum. Summâ cum voluptatis significatione rex illum excepit, euoluit, perlegit, nosque humanissimè vocatos, propiùs ad se accedere iussit, statimque rogauit, vt de oblato libello aliqua explicare & tam recondita hæc arcana recludere ne moremur: hic ego in concessu illo regio, confestim aggredior. Cœlorum magnitudinem exponere; de astrorum periodis, motibus, & stationibus pauca quædam, & iucundiora prælibare, affectâ enim iam die, optabat quidem, quamuis lassus de viâ, rex protrahi sermonem, sed rogabatur à suis, vt fatigato corpori quietis aliquid daret. Instaurari posse iterum doctissimam disputationem, postquam recreatis viribus ad audiendum regressus esset. Annuit rex suorum votis, postulauit breuissimum ad quietem, tempus, moxque rediens, iussit vt de pulcherrimo argumento iterùm dicere ne grauer. Multa egó igitur primum de cœlo, & omni siderum ordine loquutus. facillimè deflexi, orationem ad supremum cœli conditorem ac Dominum, & infinitam eius potentiam sublimius exaggerans, deueni etiam ad æterna supplicia & præmia. Cumque multam in noctem, duas iam horas dicendo tenuissem, attenderentque taciti omnes aulici, atque vix, ipse immotus, & subridens incredibiliter delectari videretur; Satiùs
tamen

tamen tunc iudicaui ponere orationi modum, postulatâque veniâ discedere; applausere omnes, & multis laudibus extulere quæ audierant, atque in primis rex ipse incredibili humanitate prosequutus abeuntes, eximiis donatos muneribus, in diem alterum, valere iussit.

Constitit sanè, congressus illius nostri, fructus eximius, nam tametsi regem ipsum non satis permouit, vt Deo vocanti obediret; primarium tamen aulæ totius ducem, militum prætorianorum præfectum, vsque adeò immutauit, vt finito statim sermone, intempestâ illâ nocte ad nos accesserit, baptismum omni obsecratione postulauerit, Christumque palam quem paulò priùs audierat palàm professus sit. Sed dilata in tempus opportunius res est, eximiâque deinde pompâ matri Ecclesiæ, cum amplissimâ familiâ filius adscribi voluit.



Summâ regis voluntate in Tunchini regno, morari iubemur.

CAPVT X.

CVm igitur eâ nos humanitate, ac beneuolentiâ rex quotidie comprehenderet, & crebrò etiam ad se venientes in Colloquium honorificè admitteret. Nemo tamen ex iis qui amicissimo erant in nos animo, audebat adhuc ab eo postulare, vt nos, abeunte Lusitanâ naui manere in regno suo pateretur. Grauissimi huius negotij

cura, cum nos dies noctesque vehementer augeret, tum nihil in eo videbatur melius, aut certius, quam recurrere ad exposcendam in re tam ancipiti, & ambiguâ diuinam opem. Neque frustrà fusæ preces, quippe casu factum est, vt in peruigilio Sancti Ioannis Baptistæ, ad regem salutandum admissi vltrò in triremem ab ipso vocaremur. Hîc statim horologium illud rotatum proferri iubet, quod ei ad bellum proficiscenti oblatum à nobis erat. Obsecratque vt artificium eius omne, atque vsum aperire aggrediamur. Hactenus enim, machinam huiusmodi tantâ elaboratam arte profitebatur se nullam vidisse eodemque tempore clepsydram horariam, ex puluere dono à nobis acceptam proferebat.

Nos facillimo statim negotio, illud horologium opportunè ad horarum pulsum componimus, inuersâque simul clepsydrá regem monemus, in horologio illo rotato alteram haud dubiè horam pulsatum iri, eodem ipso articulo quo totus clepsydræ illius puluis in inferiorem vitreæ sphærulæ partem èfluxisset: hîc verò rex mirari, & expectare cupidissimè finem horæ; vt dicti comprobaret fidem. Medio autem illo interuallo volumen illud Cinicum profert, quod paucis ante diebus obtuleramus, rogatque vt interim dum spatium horæ præterit, subtilius aliquid ex more disseramus. Auditque libenter dicentem, & subinde audiendo intendit oculos ad clepsydram, monet autem ad finem horæ fluxisse totum puluerem in clepsydrâ; neque tamen alterius horologij rotulas dedisse pulsum alterius horæ. In ea regis voce, ecce tibi opportunissimè datur

hora

hora mirante rege, atque incredibiliter singulare artificium prædicante.

Vnde postea factum est vt munusculis illis nostris magnopere captus, eximiè de nobis, ac rebus omnibus nostris sentiret: tunc autem ad me conuersus, video inquit excessuram propediem è finibus regni mei Lusitanam nauim vestram: nùm vero sustinebitis vt per annos aliquot vos ego hic mecum habeam. Si annuitis, erit mihi sanè iucundissimum, frui conspectu isto, & congressu vestro,& in publicis etiam negotiis vestra consilia exposcere. Nos quibus nihil magis in votis erat, quam ea regis voluntas, reponimus humillimè. Fore nos in regis potestate, decerneret tantùm quidquid vellet nihil esse nobis posse vel honorificentius vel optatius quam principi potentissimo non ad breuis temporis moram, sed in omnem reliquam vitam, exhibere gratam operam & beneuolentissimam fidem probare.

Hîc ille iterum exquirere, nùm ego vnus qui patrium sermonem callerem, mansurus essem an vero molestum esset vtrique disiungi à socio, respondi ego acerbissimum mihi sanè fore in alienâ terrâ diuelli à dimidiâ mei parte: alterum illum socium mihi vt pote iuueni datum esse patrem, & vitæ ducem. Tum rex ambos igitur habebimus & amicos, & curarum consortes. Nostri eritis, accingite vos maturè ad iter atque in regiam nobiscum venite. Eo nos nuncio incredibiliter lætati, beneuolentissimam Dei prouidentiam demirati sumus, quippe vt totam sibi beneficij huius vindicaret gratiam, passus non erat vt vllam eius partem, quisquam è primoribus posset

præripere, cum fuisset nemo qui deprecator pro nobis apud regem accedere ausus esset.



Profectio nostra in vrbem regiam.

CAPVT XI.

PAucis igitur póst diebus dedit se rex in viam cum exercitu, quo eodem comatu nos profecturi, Christianos omnes aduocauimus, impenséque commendauimus constantiam in susceptâ fide. Fuit iter illud, perpetuæ nauigationis diebus nouem, quibus per continentes fluminum alueos arte præclarissima dispositos vela fecimus, semper extra ipsum mare ad quod ingressi nequaquam sumus. Toto autem eo tempore, cum triremis qua vehebamur, regiæ naui sæpiùs occurreret: commodum accidit, vt quadam die, coram rege celebriores cantus haberentur, ad quos audiendos humanissimè acciti ab ipso sumus. Vt nos vidit, tametsi defixus erat, in huiusmodi voluptate musicæ, conuersus tamen ad nos, assidere iussit, amantissiméque multa interrogauit, præsertim de concentibus nostris, totoque modulationum vsu apud nos, qualis ille, quàm multiplex, atque frequens esset, cum autem huiusmodi multa quæreret; & ex me vicissim audiret, aduertit pendentem è zonâ meâ, precatoriam B. V. coronam, rogauitque illicò quid significarent lucentiores illi globuli, aut quem in vsum ita penderent è latere: exposui ego Christianæ pietatis

tatis

tatis totam rationem, atque ille statim postulat eam sibi coronulam dono dari, acceptamque collo imponit neptis cuiusdam triennis, quam infirmam blandè fouebat in gremio. Certamque spem concipere animo cœpit posse hoc adhibito amuleto, pelli omnem à puellâ ægritudinem. Quo spectaculo nihil mihi hoc tempore accidere poterat iucundius. Studuique pro virili, regem in eâ mente ac sententiâ firmare.

Verùm interim dum gratà illâ cautionum voluptate aures mulcet, tibi nuncium audit molestissimum, quod animum abstrahat à musicâ, & ad belli curas euocet. Addiscit nimirùm *Ciüa Cham*, illum iamdiù rebellem, qui latuerat hactenus inter prærupta montium, quod præsentem regem extimesceret; audito eius in Cocincinam discessu, descendisse secundo flumine, cum ingenti ducentarum nauium classe, omniaque latè populari. Percutit regis animum nihil tale suspicantem, inopinatâ illâ perduellis hominis audaciâ, statimque ad vindictæ curas conuersus, de hoste opprimendo cogitare cœpit. Sed ille audito aduentu regis, quem adhuc longissimè à regno abesse arbitrabatur fugam illicò capessit, sed tardiùs sanè quàm putauerat: insequuntur enim à tergo Tunchinenses, cum velocissimarum triremium duplo maiori numero, coguntque illum dimisâ classe, aufugere per deuia, & per noctis intempestæ tenebras deploratæ saluti prospicere. Cum autem primo diluculo vacuæ triremes apparuere, iubet rex suis, insequantur fugientes, & captos male perdant. Verùm illi quod totâ nocte citatissimo cursu quæsiuissent latebras

euasere,

euaſere fere omnes. Quinquaginta ſolùm in manus regiorum militum venerunt, quos è veſtigio iubet rex, iiſdem in illis campis, miſerè necari, acerbiſſimum mihi tunc profectò viſum eſt, ſpectaculum, cum viderem eos omnes vno tempore diuerſis in locis raptari ad mortem, neque poſſe me adeſſe niſi paucis. In hoc ergo animi æſtu, oculis vnum aliquem deſigno, quem proximum morti video ad eum vt poſſum velociſſimè, priuſquàm ei caput demetatur. Huic ego pro breuiſſimâ morâ temporis quæ ſupererat, Chriſtum annuncio & vitam æternam polliceor, ſi modo credere illi velit, & baptiſmo eius expiari. Annuit ille, ac tam ſalutare monitum auidus arripit. Sed dum tingere illum Chriſtiano ritu paro, nihil prorſus ſuppetit aquæ ad baptiſmum. Remotius enim flumen erat, quam vt miles necem illaturus reditum meum expectare vellet, in his anguſtiis totum me refero ad preces, & dum anxius omnia vndique perluſtro, video tandem non procul à deſignato ſupplicij loco, ſcrobem exiguam pluuiali aquâ plenam, quam nocte præcedenti, modicus imber effuderat, diuinitùs immiſſus, ad ſalutem noui huius floris, cœleſtibus viridariis ſtatim inferendi. Quid plura manum ego vtramque hâc aquâ impleo, effundo in caput mox demetendum, Petri nomen morituro impono, cuius ſolemnis agebatur dies. Vix formulam abſolueram, cum miles vtrâque manu enſem librans vnico ictu caput à trunco diuidit, animâ vt confidimus in cœlum etiam velociùs receptâ. Inde ad alios citatiſſimo curſu aduolo, ſed inutili labore. Inuenio enim omnes iam exanimes, truncatis capitibus, & inter luctus

ac

ac lacrymas tantæ calamitatis, diuina etiam iudicia profundius demiror, quibus effectum eſſet, vt eligeretur vnus ad gloriam, aliis omnibus in tartarum detruſis.

In hoc mœrore animi, gaudiis mixto, cum ad regiam triremem regrederer; video parari à regis famulis eximio quodam ornatu ſacrificium, in quo litare cœlo rex cogitabat, & de victoriâ tam inſigni gratum animum exhibere. Quod pro eo ac debui ferens ægerrimè, venio ad regem, & triumphi magnitudinem, ac velocitatem verbis vt potui ampliſſimis gratulatus, ſubiungo, ſatiùs omninò fore ac conſultius, non cœlo quod expers eſſet animæ ac ſenſus, ſed ſupremo cœlorum ac terræ Domino, bonorumque omnium authori Deo, pro tanto & tam ſingulari beneficio gratias habere quantas maximas capere poſſet animus. Ad hoc tam ſalutare monitum reſpondit Rex humaniſſimè, ſibi quidem tunc fas nequaquam eſſe, patrium in referendâ gratiâ ritum deſerere, inquiſiturum ſe poſteâ diligentiùs, de ritibus illis nouis quos prædicarem. Cum igitur prophanum ſacrificium impedire nequaquam valerem, ad triremem me retuli, donec reliquum iter cum regio comitatu conficeremus.



Auspicatus nostrarum ad aulam regiam accessus, & prima Euangelij promulgatio.

Caput XII.



Rimum nobis in Tunchini terras aditum, eadem aperuit dies, quæ triumphalem D. Iosephi abitum in cœlos, annuâ recolit pompâ. Vt suo est obseruatum loco. Qua verò die grauidam de cœlo sobrinam, inuisit officij causâ, virgo mater vniuersitatis regina, eâdem nobis in aulam regiam, liber atque expeditus patuit accessus. Illius numine atque consilio qui tempestatum periodos arbitrio suo moderatur, & sub augustis tantæ reginæ auspiciis dies eadem, illibatum Euangelij lumen, Tunchinensem in aulam inueheret, quæ filium Mariæ lucem primigeniam illam quidem, in cognatas Elizabethæ ædes secum induxerat. Secundâ igitur Iulij die, anno 1627 in vrbem Checensem, atque adeo in aulam regiam primum intulimus pedem, ipso vsi comitatu regis, à Cocincinensi bello reducis, aut à fugando potius, continenti trium dierum spatio, Ciüachancho, quem insigni opportunissimâque fuderat victoriâ: quippe constat, si longiores in hoste insequendo traxisset moras, vsurum fuisse illius absentiâ rebellem subditum, vt in quatuor illas, florentioribus regni copiis per id temporis spoliat, prouincias inuaderet, quas aliàs armis rebellibus suo subegerat iugo. Cum nec idoneus qua triremium apparatus,

apparatus, qua exercituum instructus ad inuasionem deesset, ingens minimùm regioni, totius regni florentissimæ, in quam irruptionem fecerat, ab eo vastitas imminebat. Crederes certè publicam vnà cum rege lætitiam, desperabundas in plagas remigrare, quæ populares plenis ex vrbe portis euocaret, aliorum manus ad pompam triumphalem, victori principi adornandam expediret, dum omnium ora gratulatorios laxaret ad plausus, quibus vici, plateæ, compita ad ipsum vsque palatium personabant

Secuturis ergo fidei victoriis quasi præludente cœlo, eâ triumphi pompâ, comitatuque regio inuecti sumus. Cui tandem succederemus hospitio, cum adhuc esset in vrbe ne vnus quidem Christianis initiatus sacris, qui suas accommodaret ædes, mouit tamen arcanum numen primæ notæ Ethnicum, cui nomen *Mari tui.* Is cum nos ac nostra omnia curiosius obseruasset, suam vltrò, nec vllâ prouocatus prece domum prolixè obtulit, tùm ad commorandum, tùm ad obeunda societatis munia, donec alias nobis ædes accurasset regia liberalitas, cuius quidem munificentiæ spem nobis fecerant, multa nec dubia, charitatis eximiæ argumenta. Res fuit prodigio penè similis, quanto ardoris impetu, in ritus nostros ac cæremonias vir Ethnicus propenderet. Aras cœlesti victimæ aptabat ipse, doctrinam Christianam enucleantibus, aut pias habentibus cohortationes aderat frequens, suamque demùm coniugem, vniuersamque familiam Christianis imbutam præceptionibus, suâ potestate feliciter vsus, in eorum salutem, aquis piacularibus lustrari voluit. Ipse quibusdam retardatus impe-

dimentis ad quæ expedienda ſatis in præſentiarum animi non erat, tanti beneficij vſuram in aliud tempus præpoſtero conſilio diſtulit. Spem interim ſuam, & communia amicorum vota; ſanctiſſimâ hac aſſeueratione fallens. Daturum ſe operans ſcilicet, vt ab iis breui abſolueretur vinculis, quæ captiuam libertatem opprimebant. Nec priùs è viuis abiret quàm aquis illis ſalutaribus tingeretur. In quantum certè diſcrimen ſuam ſalutem intempeſtiuis hiſce moris, adduceret, non ignorant ij qui ſciunt, ex humano arbitrio non pendere diuinæ gratiæ diſpenſationem, iuſto plerunque iudicio procraſtinantibus, ac de diuinâ bonitate plus æquo præfidentibus ad libidinem, ſuamque cum irato numine, reconciliationem futuro committentibus, illud ſalutis pignus denegari. Auertêre periculum continentia vxoris, ac liberorum vota; imò auſim dicere, ſingularis illa, in nobis hoſpitio excipiendis charitas, Dei in vindictam intenti, patientiam per decem annorum ſpatium ità fefellit, vt in reum non ſæuierit niſi in ſalutem. Emenſo ſiquidem illo tòt criminum ferè quòt dierum curriculo, morbum immiſit, medica dei manus, eò ſalubriorem quò grauiorem. His excitata curis Agatha eius vxor, matrona piiſſima, domum nos euocat, nos verò veterum beneficiorum non immemores, poſtremam hanc viro de nobis, ac de re Chriſtianâ benè merito, tam prolixè quam alacriter præſtare, idoneum baptiſmo, quippe domeſticis ſolutum impedimentis, Chriſtianiſque iam dudum myſteriis informatum, aquis luſtricis expiare Ioannis nomine indigetatum. Nec diù poſt ſuis expiata ſordibus anima, ex aquis illis

illis ſalutaribus in cœlum vt ſperamus emerſit.

Quum primum in aulâ ſpargi cœpit, de noſtro aduentu, deque hoſpitio rumor; tantus ſubitò omnium ordinum concurſus domum factus eſt, vix vt omnium votis facere poſſemus ſatis. Eos inter omnes qui ſacris aſperſi laticibus fuere, longè primas obtulit ipſa ſoror Regis, cui ob Cinenſium litterarum, in primiſque poëſeos ſingularem peritiam, imponi placuit nomen Catharinæ, vt defœcatam tanti nominis integritatem, & infractam in propugnandâ fide, illius heroinæ conſtantiam æmularetur, quam eximiis ingenij dotibus, & generis ſplendore tantùm non æquabat. Nec verò quidquam habuit à baptiſmo antiquius, quam vt acceptam gratiam impertiret matri, eamque ab idolorum cultu ad Chriſtum traduceret, Ingens cum ea Chriſtianæ rei facta eſt acceſſio in myſteriis quippe Cinenſibus, non mediocriter verſata erat, idolorum verò cultui ſic addita; illi vt apud Sayos *Tay* nomen quod magiſtrum ſonat, conciliauerit, qua intempeſtiuus zelus, qua cæremoniarum ſcientia. verùm mutatus cum religione zelus, ardorem omnem ſuum conuertit, in matronas nobiles ſanioribus imbuendas præceptionibus, & ad Chriſtianam pietatem inſtituendas. Catharina verò eius filia, noſtrorum dogmatum notitiam tam auidè arripuit, piarumque meditationum delicias ſic hauſit, vt in numeros poëticos contulerit totam Catechiſmi hiſtoriam, ab ipſis mundi primordiis, ad Chriſti aduentum, mortem, aſcenſionem, ſtylum eruditè deducens. Subiunxit ſacro poëmati, noſtri ad regnum Tunchinenſe appulſus hiſtoriam, atque ipſa vulgati primùm

Euangelij initia. Ex tam pretiosâ operâ fructus extitere pereximij. Fuere siquidem versus illi argumentum vnicum cantiuncularum, quibus, laborem, aut tædium domi, foris, in vrbe, viri recreabant neophyti. Imo & Ethnici, cantus huius suauitate capti, eos vnos, ad concentuum delicias, cum adhiberent, sensim ac sine sensu, potiora fidei mysteria volentes, nolentes hauriebant.



Sai quisdam celeberrimus, fidem amplexus, multos Christo lucratur.

CAPVT XIII.

CVriosâ multorum annorum obseruatione compertum habemus, Ethnicorum omnium quorum mentes Christianis excoluimus mysteriis in Tunchinensi regno, nullos fidem suscepisse, vel faciliùs, vel auidiùs, nec susceptam retinuisse Constantius, quàm qui superstitiosis idolorum cultibus pertinacius adhæsere. Istius rei fidem cumulatè faciet vnus Sai fictitiorum numinum cultor, in paucis superstitiosissimus, incola pagi cuiusdam, cui nomen *Vn xa* vnius aut duorum fermè dierum spatio ab vrbe remoti. Singularem hominis probitatem, ex regiis pellicibus vna pagi domina, dignũ reputauerat præfecturâ templi prophani, quod in eo construi curarat: in parte illius templi remotissimâ, assurgebat ara cui innitebatur tabernaculum, operæ non elegantioris quam ditioris, auro vestitum, picturis

ris illustratum suis post vitam manibus, sedes vt stultè putabat accommoda. Verum statim atque primus fidei Christianæ, saniorumque dogmatum radius illuxit Saij animo, ille nullâ interpositâ morâ, annuorum redituum quos ex prophanorum rituum administratione colligebat, imò & authoritatis apud regiam pellicem paræ, iacturam præ salute parui pendens, in priuatam cum vxore se recepit domum à pestiferis illis ædibus, animo ad baptismum comparando, liberiorem operam daturus. Inditum ei Antonij nomen in baptismo, vxor Paula dicta. Cuius rei certior facta pagi domina, tam illustrem defectionem, suorum Deorum ignominiam interpretata, sic excanduit, vt fratri qui per id temporis imperitabat pago, per internuncium mandarit, transfugam in pristinam dignitatem per vim restitueret; si præfecturam iterum capessere recusaret obstinatiùs, publicis subiiceret virgis. Optionem pœnæ, præ opimâ præfecturâ facit inuictus Antonij animus. Nullà morâ nudatur, columnæ in medio foro defixæ religatur, flagris cæditur in totius ciuitatis oculis quæ ad spectaculum conuolauerat. Auxit Antonij animos datus fidei sanguis, adeo non infregit sæuitia tortoris. Incessebat lætitiis defluente vndique cruore, velut hostilibus spoliis tumens, non suis, ac perinde quasi suam constantiam sanguine sanxisset suo, ad disseminandam Christi fidem, animum longè quam adhuc acrius adiecit. Viros ipse non tam in suas, quàm in Christi partes, modis omnibus pellicere conabatur, dum paula, nec zelo, nec virtute minor, in fœminas ritè instituendas, & ad baptismum componendas, industriam

ſtriam conuertebat. Quæ quidem omnia cum ad pellicem publica detuliſſet fama, contineri vix potuit quin conceptum virus, in inſontis Antonij caput euomeret, cum effuſam ſæuiendi libidinem repreſſit nota viri ſanctitas, inuiolataque integritas: tantùm dignam meliore ſolo probitatem exilio damnat, bona illius addicit fiſco. Sed ea nimirùm iactura leuiter perculit animum, qui iam dudum eam nobili neglectu præuerterat, nec piguiſſet ſolum vertere niſi à tenellorum adhuc, atque ideo imminentium tentationum iniuriis obnoxiorum Chriſtianorum quos cœlo pepererat centuriâ diuelli debuiſſet. nec certè ſui doloris, vim immodicam ferre potuiſſet tenellus grex, qui videret vnam diem duo tam pretioſa capita quæ parentum habebant loco, ſibi per ſummam iniuriam abripere, niſi illius acerbitatem commodum leniiſſet, oblata opportunitas, in pagum proximum alterius ditioni ſubiacentem ad conſulta pietatis officia conuolandi.

Impotentem mulieris iracundiam, iniuſtumque Antonij exilium, ſuum fecit quæſtum diuina pronœa, quæ greſſus illius direxit in terras diuinæ ſementis accipiendæ capaciſſimas, nec verò in eas priùs peruenit quam Catechiſtici Apoſtolici partes ſibi aſſumpſit, nunc Euangelij myſteria diſſeminando, nunc piis cohortationibus, ſalutares concitando motus in auditoribus, nunc errorem impugnando, & à Satanæ caſtris ad Chriſti ſigna, generoſos transfugas abducendo. Certè in vrbem regiam remigrabat nunquam, quod tamen frequenter factitabat, fructuum inanis. vidiſſes candidatorum fidei aptâ baptiſmo

coronâ

coronâ circundatum, nunc viginti, nunc triginta, octoginta, quandoque numerauimus, inter quos eminebant non pauci Cinenſium Cæremoniarum ſcientiâ ſpectabiles, cum iis ipſe non niſi leuiter tinctus eſſet, & eiuſmodi hominum genus, ob earum inſcitiam magno non ſit apud Tunchinenſes loco. Verùm qui de cœlo afflabat hominem Deus, ita linguæ motus attemperabat omnes, nihil vt ipſi excederet, quam quod eius orationibus ſummam attentionem, iuxta ac reuerentiam conciliaret. Vim dictis addebat, eiuſque ſermonem ſic incitabat, vt efficacior ac penetrabilior gladio ancipiti, inacceſſos obſtinatiſſimorum animos ſubiret, & inuictam eorum contumaciam expugnaret. Neophytum vnum aliquem cum ſemel obſeruaſſet, non nihil à priſtinâ pietate deſciſcere, ac ſine legitimâ cauſa diebus Dominicis relictis piis Chriſtianorum, cœtibus ſe ſubducere, eum clam conuenit, exitiali animæ ſtatu, certâque malorum voragîne in quam ſe committebat, vltrò ſub oculos poſitâ, ita perculit, vt priſtina exercitia incredibili ardore reſumpſerit, animumque ad propitiandum numen ſeriò intenderet. Longini centurionis exemplo ad id allato motus, qui ex inflicta Chriſti lateri plagâ, vberes cum ſanguine gratiarum riuos expreſſit. Quo verò pædagogo vſus Antonius, illud longini didicerit exemplum præter ſanctum ſpiritum, alium nouimus nullum.



Ethnici non pauci Baptismo lustrantur.

CAPVT XIV.

ABest ab vrbe regiâ non procul, pons celeberrimus *Caugiensis* dictus, qui circuniacenti prouinciæ nomen dedit. Incolis idolorum cultui deditissimis frequens est ea regio, viri pariter ac fœminæ, solemni voto obligati, reficiendis pontibus, ædificandis xenodochiis, aliisque ejus generis piis operibus, ac reipublicæ commodis incumbunt. Viris eam pietatem profitentibus, *Sai* communis est appellatio, mulieribus *Vai* consensionem verò quæ inter ipsos intercedet compositâ nomenclaturâ significarunt *Sai Vai*. Quæ quidem appellatio in Idolorum cultores addictissimos quosque, ac piorum huiusmodi operum studiosos est propagata. Abundabat religiosis hisce *Sai Vai* Caugiense oppidum, ab vrbe regiâ semileucam circiter distans Qui cum de nostro aduentu inaudiissent: arcano spiritu moti, non imbrium desuper inguentium vorticibus, non cœnosarum viarum aquis dilutarum, & vestigia subinde fallentium iniuriis, retardari potuerunt, quo minùs ad nos turmatiùs confluerent, fidei nostræ mysteriis aures daturi, ac tanta eos tenuit deinceps, illius cognoscendæ, perdiscendæque cupiditas, vt quocunque cœlo, horâ Catechismo enucleando attributâ, in templum diebus singulis conuolarent, velut ex condicto, successu tam fœlici vt paucos intra

intra dies ex eo numero duodecim, qui maiorem noſtrorum myſteriorum notitiam probauere ſacro fonte fuerint expiati, qui rem deinde Chriſtianam promouere non mediocriter ſuamque non modo operam ad condendum in regno Tunchinenſi Noſocomium omnium primum, ſed & ad ipſum annuis reditibus inſtruendum fortunas ſuas liberaliter contulerunt.

Nec vni duntaxat ex Ethnicorum, rudiſque vulgi grege aliqui ſucceſſere fidei. Non defuerunt eximiè litterati, qui ad prima fidei rudimenta cum magnâ modeſtiæ ſignificatione domum accederent. Ounghus inter alios quidam (honoraria eſt illa appellatio, virorum litteratorum magiſtratu publico, vel defunctorum, vel in præſentiarum tunc defungentium) ad annum ætatis ſeptuageſimum prouectus, cum vxore iam depontanâ, ad noſ accedit ſupplex enixè rogans, vti ſibi copia fieret, earum præceptionum, quas aliis tradebamus vltrò, fieret & luſtralium aquarum, quibus ambo humiles canos ſubiecere, cum incredibili lætitiæ teſtificatione & prodigâ gratiarum actione diuinæ bonitati, quæ eos tandiù ſuſtinuiſſet, & actam inter tot diſcrimina vitam, primis hiſce naſcentis fidei luminibus reſeruaſſet illi verò vt acceptæ gratiæ, gratiam aliquam rependerent, plures conſanguinitate ſibi coniunctos, è variis collectos prouinciis, domum adduxere, eo afficiendos beneficio, quod in terris maximum reputabant. Eos excepit recens laureâ donatus adoleſcens, qui nihil admodum cunctatus, baptiſmo caput dedit, Ioannes, luſtricum illi nomen fuit. Hic altè concepta pietatis ſenſa, tam fœliciter,

in totam familiam transfudit, vt matrem, atque adeò familiam vniuersam Christianis mysteriis non leuiter tinctam ad baptismum demum pertraxerit; annuente non illibenter patre, quanquam ipse animo minor, in tanti beneficij partem impræsentiarum venire recusauit. Exempla tam illustria, magnam ædibus nostris, peperere celebritatem litteratorum virorum, quos explorandi cupiditas ducebat potiùs, quam lucrandæ salutis zelus. Et vero fructuum vacui redibant, sibi nimirum tribuente superbiâ excæcati.



Rex Tunchinensis non procul à suo palatio, hospitium, ac templum construi iubet, in quo nostra munia obimus.

CAPVT XV.

PRope erat vt solueret Lusitana nauis, quæ nos Tunchinum aduexerat, cum Rex concessâ nobis subsistendi licentiâ, insigni humanitatis exemplo Eucharisticam scripsit epistolam ad Patrem Andream Palmerium, qui tùm prouinciam lustrabat eamque remeanti naui commisit transportandam, in eâ, post actas patri gratias in regnum suum socios, prolixè exponebat. Quàm gratus sibi fuisset, eorum aduentus, argumento esse illam ipsam chartam, cui suum commiserat animum. Lamina erat argentea, scitè explicata, tum stylo exarata & demùm in multa volumina replicata: nec enim placuerat sua credere sensa, vulgari papyro, quanquàm perpulchram

pulchram adhibent Cinæ, picturâ & aureis cum arte bracteis illuſtratam. Verum epiſtolam hauſit cum naui Oceanus ad inſulam Ainam; eamque cum reſciſſet, Palmerius, in inſulanorum manus incidiſſe, qui reliquias naufragij collegerant, curioſè conquiſiuit, ac tandem redemptam Amacaüm tranſmiſit.

Interim longo vſu, ædium noſtrarum anguſtias experti, concurrentis multitudinis minùs capaces; ad Regem adimus, arctiores hoſpitij ſinus quàm noſtra ferunt munia expoſuimus. Locum attribuat opportuniorem ſuppliciter obſecramus. Rex poſtulata non probauit modò, ſed vltro etiam adiecit, ſecum ſtatuiſſe ſe iam pridem in ſuo palatio ædes nobis excitare, proinde aream noſtris muniis opportunam, deſignaremus ibi ſe ædes, noſtros ad vſus, opportuniores curaturum. Hîc certè non defuere, homines etiam amiciſſimi, qui ſuaderent regiâ vtendum munificentiâ, excitandum in ipſo palatij ſinu hoſpitium, tum ad frequentes ædium conflagrationes, quibus eſt obnoxia ciuitas, tum ad direptiones publicas, quibus maximè patet, anteuertendas. Tamen quod neophytis, non ita liberum fore palatij aditum ſuſpicaremur; placuit extra palatij pomœrium, ſolum hoſpitio deſtinare, quanquam à palatio non ita procul vt Regi euocanti adeſſe citiùs poſſemus: itaque paucos intra dies, quippe vrgebant Regis imperia, excitatæ nobis ædes, eo quem optaueramus loco omnibus inſtructæ commodis, quæ noſtris vſibus viſa ſunt conducere: ex mero conſtabat ligno ædificij moles, cætera capax, nec à nobilium ædibus abludens.

Sub vertentem igitur Nouembrem, menſe poſt

noſtrum in vrbem Regiam aduentum quarto, nouum in hoſpitium commigrauimus, cuius partem alteram Deo dicauimus,qua die adieramus ædium poſſeſſionem, tanta in eas vndique confluxit hominum multitudo, vt matutino tempore tres, veſpertino totidem habere conciones neceſſum fuerit, ne auditorum alternis accedentium & recedentium votis deeſſe videremur. Par erat labori fructus, ac tantus è iacta ſemente prouentus redibat, duos vt in hebdomada dies dicandi fuerint expiandis Baptiſmo cathecumenis, quorum numerus ad 40. excreſcebat aliquando, vicinos minimum vulgo cenſebamus, & nobiles quidem non paucos, è regiâ verò familia nonnullos. Initio quidem ſubeunda fuit non ſemel alea certaminis cum captioſis quibuſdam, qui noſtris concionibus aures dabant, eo tantum conſilio vt audita refellerent. Quæ contentiones non tantum concionum ordinem perturbabant, pretioſum tempus auertentes in quæſtiunculas enucleandas, in ſoluenda dubia;ſed in religioſioribus paulo mentibus intempeſtiuos mouebant ſcrupulos, itaque progreſſum Euangelij retardabant. Præſens huic malo remedium viſum, cum nemine in arenam deſcendere, quin dies octo ſolidos dicentibus adfuiſſet. Quo factum vt nonnulli, morarum ferendarum impatientia victi, abſiſterent; aliorum dubiis continuata doctrinæ ſeries planè fecerit ſatis,atque adeo os obſtruxerit. Ita conſultum tempori,& auditorum ab vanis illis altercationibus periclitantium ſecuritati efficaciter cautum.

Doctendæ



Doctrinæ Christianæ tradendæ methodus.

CAPVT XVI.

ETsi Euangelicæ doctrinæ præcones bene multi, qui in tentatis alià Ethicos terris fidei mysteria promulgarunt, censuerint non imprudenter, vel innatos vel insitos Ethnicorũ animis errores reuellium, superstitiosaquè dogmatum commenta confutari debere prius, quàm Christianæ fidei rudimenta tradantur, iuxta methodum afflatam Prophetæ diuinitus his verbis; Posui te vt destruas, & euellas, vt ædifices & plantes; Augustissimum vero Trinitatis mysterium humanis inaccessum mentibus sub ipsum dumtaxat Baptismi suscipiendi articulum candidatis proponi debere, ne tardas ad capiendum mentes, vel implicarent, vel ab amplectenda fide labyrinthæa deterrerent mysteria; longo tamen experimento doctus, viam mihi tutiorem, quia mediam, in hisce regionibus proposui ineundam. Visum igitur mihi Sectarum Tunchinensium superstitiones non prius apertè aggredi bello quam principiis quibusdam ingenitæ mentibus luci non prorsus imperuiis, decretorio prælusũm fuisset certamini, puta de Mundi ortu, quem rerum sed ratione in vtentibus finem vltimam præscripserit communes vniuersitatis Architectus, quam multis sibi nominibus in seruitutem perpetuam deuinxerit; tum vt eæ veluti ventilationes, alte in eorum animos certa deiicerent fundamenta

menta

menta, quibus ædificanda fides, adstrui commodum posset, tum ne damnatorum primis congressibus cæremoniarum, superstitiosorumque rituum pudor, auditorum animos exacerbaret potius, quod vsuuenit non raro, quam docilitatem conciliaret. Certæ si qua euentui fides, cessit mihi fœliciter locata primum opera in bene afficiendis. Erga rerum omnium conditorem ac Patrem auditoribus; tum in percellendis eorum animis metu magistræ ac dominæ illius mentis eluuionis perpetuæ, quæ scelestos homines obruit dum expiauit, & confusionis Babylonicæ commemoratione ab iis demum prolusionibus, ad refellenda Ethnicismi deliria ventum, opportuno quidem loco; quippe idololatriam, post Eluuionem illam publicam, tantum in orbem, Dæmon inuexit. Sentio tamen cum aliis Arcana Verbi corporati, & in crucem suffixi, Augustissimæ quoque Trinitatis misteria, quæ lucem habitat inaccessibilem, & probatos Aquilarum visus hebetat, oculis vix dum lucis patientibus non prius obtrudenda, quam ingenitis, acceptisque iam pridem tenebris fuerint perpurgati. Ne primos eorum conatus, vis luminum immensa exhauriat.

Mihi tamen probari non potuit illorum sententia, qui ad ipsum suscipiendi Baptismi articulum, reiiciendam censent vnius ac trini numinis Enucleationem, ab eo putem auspicandum mysterio. A quo pronus est ad incorporationem verbi decensus, ab ista rursum ad exhaustos patientissime pro restauratione hominum labores. Christo passo, & mortuo, ad Christum à mortuis vi propria excitatum, & ad alia Christianæ

Christianæ Religionis mysteria ; quam præiuere nobis viam,illi ipsi Apostoli,qui allata dogmata tradidere. Mihi quidem toto illo bene multorum annorum spatio , quos in Ethnicis instituendis posui , ne vel vnus occurrit , quem à nostræ fidei complexu, incomprehensum illud Trinitatis mysterium abalienarit. Corporatæ diuinitatis fidem ægrè magis admittunt non pauci. Cui enim mirum videatur , Deum illum quem vel ingenitâ vi satis capiunt,capi non posse,sed supra cognoscendi facultatē rebus creatis omnibus concessam assurgere , supra dicendi facultatem esse,nec ambitiosis periodorum anfractibus colligi posse,attributorum,personarumque, quas in eo credendas,& adorandas proponimus, amplitudinem , quæ omnibus capacioris animi conatibus comprehendi non possit. Quod autem immortalis & æterna mens illa cœlorum domina , gloriæ non prius filias quam hæres,ad humanæ naturæ, temporis filiæ,dolorum,ac mortis victimæ,non commercium modo, sed & coniugium , gentilitij splendoris, velut oblita se se demiserit , is vero scopulus est , ad quem oblita,plerumque frangitur sinarum fides quare non temerè sunt proponenda Cathecumenis Passionis mysteria,sed paulò secus, quam Christianis nostratibus enunciari soleant , & in iis propalandis , hæc maximè obseruanda. Primum est vt ea prodigia quæ Christi mortem cohonestauere , verbis magnificis attollantur ; describatur composito ad terrorem stylo, cohorrescentis ad tam ferale spectaculum naturæ strage; solis refugit , consuetaque radiorum auxilia Deicidæ terræ subtrahentis pullata facies,

tumulorum mortuos eructantium fragor, Saxorum obstinatam duritiem disrumpens dolor; traducatur orbis vniuersus luctu squalidus, digna rerum omnium conditore funebris pompa; Ea demum afferantur omnia quæ planum faciant vel mediocriter oculatis, non violento sed voluntario cessisse fato illum hominem Deum, vsosque potestate, quam ipsis fecerat, carnifices, mortem ipsis consciuisse, quæ vitam hominibus peperit immortalem. Quod secundo loco obseruandum monuimus, istud est; vt post exaggeratum incarnati in nos Numinis amorem, & virtutes eximias, quæ agonem illius ornauere proponatur adoranda morientis de cruce pendente effigies, frequentibus ad maiestatem cereis illustrata, & aliis huiusmodi pietatis incentiuis coronata. Tertio sermonem de Christo vita functo statim excipiat sermo de Christo rediuiuo: quemadmodum vi propriâ è sepulchro emerserit de morte triumphabundus; vt procliue sit cuilibet colligere, penes illum esse vitæ ac mortis imperium, qui mortuum se vitæ restituit, & potuisse viuum, tyrannidem mortis euertere, qui mortuus euertit. Demum crebro repetitiis hisce sermonibus inflammari debet magis ac magis eorum in Christum amor, quod quotidiana discamus experientia eos omnes, qui erga patientis Christi agonem afficiuntur vehementius in Christianorum virtutum exercitationem acrius iuxta constantiusque incumbere. Nimirum idoneas sufficit vires deficiens Christus.

Euentus



Euentus quidam insignes, tenellam adhuc Neophytorum fidem magnopere confirmant.

CAPVT XVII.

Hos inter qui ad Christianam institutionem diebus singulis in templo nostro doceri solitam conueniebant assidui, frequens aderat Saius quidam quem ex idolorum templis facile Principibus vni, Regiis ædibus contermino, præfecerat Regis Mater, fidem nondum amplexa. vir ille, diebus quinque solidis, quo tempore nostros celebrauit conuentus, singulari in excipiendis Christianæ disciplinæ rudimentis patientiâ, spem magnam conuersionis certissimæ concitarat in spectatorum animis; iam quinto die pios illos cœtus frequentabat, cum ecce, illius vxor, in templum inuehitur truci vultu, alte conceptis furiis stimulata. Proserpinam iuraret aliquam, & ad coniugem ferocibus oculis diu tota æde quæsitum impudentissimè conuersa, hæccine, inquit, illa Sapientia, digna Deorum etiam curandorum prouincia visa, in eam degenerauit insaniam, vt in peregrinos, in steriles, atque ignobiles ritus, Deorum ac templorum desertor, sacrilege conuertaris. Age sane, scelerate transfuga; Deorum curam abiice, Templorum Magistratum abdica; at quâ tandem opera hærentem in penitissimis familiæ tuæ visceribus rerum omnium inopiam, vel ablegabis, vel leuabis? an mendicus ille Deus, illud

virgarum pabulum, vxoris, ac liberorum nuditati abundè consulet, quem in ipsum nuditatis gremium luctantem animam efflasse, sectatores illius intelligentissimi gloriantur. Vide quod tuas in ædes inferas Numen, illud nempe, quod victimas refugit omnes, nisi quas Sacerdos immolat paupertas, quod clientes auersatur, nisi miseros, quod indigno planè fastidio cultores repuit nisi nudos: hunccine quæris tuæ familiæ tutelarem patronum, coniux & pater. Incitatum orationis impetum hic abrupit verborum indigus furor; perorauit vberrima lachrymarum eluuio, ex illius oculis vndatim in vultum, ac sinum effluens; Os Saio præclusit, amor ergo nil cunctatus, domum ex æde protinus se recepit, ingemiscente ad illius casum corona, spemque quam de illius conuersione maximam conceperat elusam dolentem.

Iuuit tamen Neophytorum constantiam tam insignis ignauia, adeo non infregit, & illius fugam in aliorum salutem Diuina pronæa, hac maximè ratione. Saius siquidem, qui cum salutis studio, Christianas præceptiones ex animo non planè deposuerat, die quâdam dominicâ, templum ingressus nostrum, quâ horâ, ad augustissimum Missæ sacrificium sese componebant Christiani, librum produxit Cinenci incisum stylo, cuius prima quidem pagina Iesv nomen, maiusculo charactere exaratum, præferebat. Accessi ego videndi studio ductus; nec difficile mihi fuit, librum à Sinis auectum, atque adeo vnius è nostris Patribus manum agnoscere: Hærebam tamen dubius. Nec assequi satis poterat mens tardior, qua

tandem

tandem ratione in illius veniſſet manus. Ipſe meo dubio facturus ſatis, hæc narrauit. Patrem olim ſuum, legato, qui tertio quoque anno, tum ad fidem præſtandam, tum ad clientelare vectigal pendendum ad Sinenſem mittitur, comitem adiunctum, ex Aulâ Pequinenſi, librum hunc aſportaſſe, quem tanto, dum vixit, in pretio habuit, vt iam iam moriturus in hæredem: tanquam theſaurum præ fortunis aliis omnibus longè pretioſiſſimum tranſmiſerit, illud prætera ſubiicientem ſe legati comitem, librum illum muneris loco accepiſſe ab occidentis Doctoribus, ſanctiſſimè teſtatis, certum è terris in cœlos receptum eos manere omnes, qui & ſcriptis adhibuerint fidem, & ea fideliter obſeruarint, quæ pauculis hiſce paginis continentur. Subdebat à Patris obitu, quo orbatus fuerat decennio nondum maior, ſibi librum hunc ſingulari curæ fuiſſe, eum ſe capſulâ clauſiſſe, toto triginta annorum ſpatio, illius paginas identidem euoluiſſe ſe tamen hactenus aſſecutum nihil; ad hæc vſque temporia, quibus auditæ conciones noſtræ, imperuiorum myſteriorũ intelligentiam planiorem fecere. Ad hæc quærenti mihi, caperetne, quid ſibi vellent characteres, illi maiuſculi, quos præferebat ipſum libri initium, ingenuè reſpondit, non capare ſe. Protinus ego productum è noſtris voluminibus vnum explico iiſdem informatum characteribus, IESV ſcilicet nomine inſignitum, Ad illius nominis conſpectum explicare ſe ſpectatorum omnium vultus geſtire lætitiâ nouellum gregem, ſuam ſibi ſortem inuicem gratulari omnes, crederes nomen illud auguſtiſſimum, illum inquam lætitiæ the-

 ſaurum,

ſaurum, per ſpectatorum oculos,tantam cœleſtium gaudiorum vim eorum in pectora transfudiſſe, vt in ipſa etiam ora efflueret : Nec verò recreauit dumtaxat tenellam fidem tanti nominis aſpectus , quod exercitatos vt cum Bernardo loquar , lenit & reparat ſenſus. Sed cœleſtis cuiuſdam roboris acceſſione muniit,idem illud nomen, quod ſi Bernardum eundem audimus virtutes roborat; maximè poſtquam, ipſis eorum oculis patuit , Saij volumen , doctrinam Catechiſmo noſtro nulla re diſſimilem, imo ne quidem ordine, aut ipſa tradendi methodo à noſtra diſſonam complecti. Contendêre vi precum maximè Neophyti, ſuum vti librum exſcribendum ſaltem ad tempus, aliquod relinqueret , ſed exorari ſe non paſſus , domum retulit, tanti theſauri pretium ignorare ratus, qui alienis committi poſſe manibus putarent. Non prius abſceſſit tamen, quam publicè faſſus fuiſſet, vltro nec vllis ad mentem aperiendam laceſſitus precibus, comprehenſam hoc tantulo volumine fidem Chriſtianam, cui planè conſona vulgabamus , viam ad ſalutem expeditiſſimam aperire, eam quo minus amplecteretur, obſtare inclinanti conſcientiæ , vnas rei familiaris anguſtias, nec etiam aliunde, quam à nauata templo opera, tum ad vitam ſuſtinendam, tum ad alendam familiam idoneos cenſus ſuppetere faxit Deus, vti ſuæ ſalutis diligentior aliquando, ab iis ſe vinculis expediat,quæ ſuperſtitioſis idolorum cultibus irretitum tenent.

Acceſſit ad conformandam Neophytorum fidem, augendamque quam de Chriſtianis concepere myſte-

riis

riis opinionem opportuna prodigiorum copia, tum ad latentis in cruce virtutis ostentationem tum ad aquæ faustis precationibus dicatæ commendandam efficaciam diuinitus patratorum, cum maximè vel energumenis, vel in suprema lucta versantibus apponerentur. Et certè quoties accersebamur, ad piam hanc operam rogantibus impendendam, euocabamur autem tam frequenter, vix vt euocantibus omnibus adesse possemus, tantus Ethnicorum Christianis se promiscuè immiscentium numerus properantes comitabatur, vt publicos occuparent vicos, tanto ducebantur studio videndi, nunc manus ægris imponentes, nunc aquas lustrales energumenis aspergentes, euentu sæpissimè tam fœlici, vt quandoque sanitatem cumulatissimam subito recuperarent ad postremam sollicitudinem iam adducti, & ab importunis exagitatoribus energumeni liberarentur.



Complures



Complures ægros diuinitus curant Neophyti admota malè affectis corporibus cruce, & aqua lustrali,

CAPVT XVIII.



E primis Ecclesiæ Tunchinensis, velut cunabulis illud dicere ausim, quod de Catholicæ exordiis à Magno iactatum Gregorio accepimus: Nimirum, si qua tanto Doctori reuerentia, quemadmodum arbusta tenerrima solo recens defixa, frequenti irrigatione foueri solent, donec altas in terram deiecerint radices; ita diuinæ prouidentiæ fuit nascentem Ecclesiam miraculis velut pascere, lactare prodigiis, donec iustis virium incrementis aucta, confirmataque, de suo stare aliquatenus posset iisdem confirmanda, stabiliendaque fuit miraculis recens implantata Neophytorum Tunchinensium animis fides, eam vt admittere, admissam excolere non grauarentur homines, quam manifestis hisce, nec dubiis comprobasset suffragiis cœlum. Nec vero Tunchinensium infirmitati paterna defuit prouidentia prodigis liberaliter edendis, ope præsertim aquæ Ecclesiasticis precationibus consecratæ quæ vel affectis aspersa corporibus, vel in laborantium ora guttatim infusa, sanitatem secum præsentissimam inferebat. Tantam certè venerationem illis conciliauere euentus illi mirabiles, eam vt domi non solum curiosè habeant Tunchinenses, sed quocumque ipsos

vocent

vocent Kegotia, ciſtis incluſam ſecum deuehant, opportunum viarum ſubſidium, & aduersùs pericula præſens vtique remedium Miles quidam, à Baptiſmo Simon dictus. in natale ſolum, leucarum ſatis multarum interuallo ab vrbe Regia diſiunctum, profecturus, vaſculum à nobis, eâ refertum aquâ ſuppliciter poſtulatum impetrauit. Eo tandem peruenit ad patriæ ſalutem; quippe multos inibi morbis multiplicibus afflictos nactus. Salutiferum expedire vaſculum, & modicas probatæ tot experimentis aquæ guttulas in morientia ora infundere, ægros ad ſpem ſalutis certiſſimam excitare; nec eorum ſpem exitus fallebat: quotquot aquam hauſerant ſalutarem, vnâ valetudinem hauſiſſe dixiſſes, tantulo præbibebatur interuallo, Quâ re vulgatâ, adeo ſitientium, ac medicas aquas, implorantium numerus creuit, vt breui vaſculum ferme exhauſerit, tametſi vel vnâ guttulâ donatos ſingulos dimitteret Archiater miles paucis adhuc guttuliſima madebat capſula, quod conſpicatus, ne laborantium vndique eum accerſentium ſpei deeſſet ac votis, crediderim hanc mentem afflante cœlo, ad fontem ſe contulit è vicino monte fluentem: ibi quantulumcunque ſupererat aquæ dicatæ in vas capacius effundit, tum fontanis aquis illud complet; ſuper ingenuâ ſimplicitate, Eccleſiaſticas recitat precationes, quas memoriæ mandarat, ſale in eas commiſto, quod à nobis factitatum meminerat. Res mira, in ægros ferme innumeros diſpertitæ deinceps aquæ, perſanarunt omnes, conſpirante cum aquis Deo, & eam reſtituente corporibus ſanitatem, quæ ſalutem pareret animorum.

Gener Regis, primariæ dignitatis adhuc Ethnicus, animaduertens in Pago suæ ditioni subiacente, infestam in subditos grassari luem, populari omnia, atque adeo census annuos vnâ cum ciuium numero non mediocriter imminuisse, enixè flagitauit, nostrorum remediorum copiam sibi fieri, aquæ maximè lustralis, quæ violentum morbi popularis omnia vastantis impetum coërceret, eam in rem famulis duobus, vasa maioris amplitudinis duo afferenda præceperat, iis quibus benedixerimus aquis opplenda. Petitioni eius prolixè concessimus, diuinæ sapientiæ factum agnoscentes;& è Neophytorum grege Sex diuinæ gloriæ zelo inflammatiores in Pagum illum destinauimus, qui laborantibus omnia Christianæ charitatis officia exhiberent. Eo conuolant omnes,non animo quam fiducia pleniores suam cum rosario crucem præferens quisque; vbi in pagum ventum est in illo ipso; in quod diuertunt,hospitio,aram excitant, piam super imponunt imaginem, ante eam prouoluti, breuem quidem sed ardore plenam orationem fundunt: ternas sibi confici cruces curant, quarum vnam & alteram in extremis pagi partibus, in vmbilico tertiam, totidem triumphalis victoriæ signa erigunt.His cum alacritate incredibili perfectis, pagum inter se ex compacto distribuunt; Lue corruptas domos obeunt bini, locoque ædium maximè sublimi crucem affigunt, quæ demones abigat,iniquos earum inuasores; non tulere diutius triumphalis ligni conspectum nefandi hospites, & eorum fugam, queruli fremitus prodidere vno verbo.

Nondum octauus fluxerat dies, cum vis morbi

bi cecidit omnis , ſiue crucis contactu ſopita , ſiue aquæ luſtralis, ægris ad potum adhibitæ hauſtu ſalutifero fugata , ægri ad 270. perſanati,quotquot exitialis corripuerat lues, vno excepto, quem cum morte iam luctantem nacti, poſt breuem myſteriorum fidei explanationem, baptiſmo, ad quem præuia peccatorum deteſtatione ſe comparauerat, expiatum cœlo tranſcripſerunt, certâ filiorum Dei teſſerâ inſtructum. Obſeruatum curiosè, omnes,quotquot ab eâ lue conualuere, poſt ſorbitam luſtralem aquam,aliam fœtidiſſimam euomuiſſe; certum incantationis Diabolicæ,& recuperatæ valetudinis argumentum.

Ab eo pago reduces Chriſtiani,reportatas de hoſte tartareo victorias, cum ſingulari lætitiæ teſtificatione vulgabant; ſed eam lætitiam tantum non corrupit infœlix caſus illius , quem aliis præfeceramus, paucis ſiquidem à reditu diebus improuiſo,& omnem induſtriam anteuertente ſublatus eſt fato. Concepta verò de illius tam repentinâ morte triſtitia, cum in vultus etiam noſtros exundaret,& animi luctus in oculis,in ore,in verbis,ſe ſe oſtenderet; Parcite dolori inquit,è victoriæ conſortibus vnus,& iuſtum Dei vltoris iudicium , in illius hominis fato præpropero agnoſcite; Expugnauit auarities illum charitatis non tam pugilem , quam victorem, ille ſiquidem contra iterata præcepta, de piis Chriſtianæ charitatis officiis gratis exhibendis, pretioſam veſtem , mercedem laboris ſacrilegam à Pagi Domino accepit. Hæc in aliorum oculis atque auribus dicta , ſtragem fecere animorum. Nobis vero rediit in memoriam leprâ Naamani;quem Propheta curauerat,in auaritiæ non diſſimilis pœnam,

mulctatus Giezi, turpes Naamani maculas non discutiente penitus, aut extinguente, sed in auarum discipuli corpus auertente; Crediderim pariter in huncce nostrum alienæ salutis nundinatorem, Deo mortis impetum regente, conuersam, quam ab aliis amouerat, lucem; iustum venditæ sanitatis pretium. Eo casu docti cæteri, tantam deinceps adhibuere cautionem, vt religioni ducerent cibum capere in iis ædibus, quas mortiferâ lue purgassent, ne fugatam pestem in venalem eorum stomachum, dispositi mercedis nomine cibi reuocarent.



Nonnulli Neophyti suam nobis operam in reliquam dicant vitam.

CAPVT XIX.



QVæ consuetudo apud Tunchinenses inualuit, vt nonnulli, adumbratæ pietati indulgentes, imperiosorum Dæmonum cultui perpetuo planè mancipem addicant vitam; eadem in melius mutata pium militem mouit iam Christo initiatam, cui nomen Antonius, firmum corpore, annum ætatis trigesimum iam prætergressum, vt à Duce tametsi Ethnico missionem, facultatemque peteret, à Tunchinensis Regis insignibus, ad Regum Regis, ac cœlorum Domini Iesu Christi castra se transferendi. Impetratâ missione, arma sua omnia, in profundum abiecit lacum, cui tutiùs, & ad hominum salutem conducibiliùs ea committeret, hominem ignorans;

rans; Ab his in noſtras ædes aduolat in ſeruitiorum noſtrorum numerum adſcribi ſuppliciter rogans: obſequentem ſe in omnibus fore ſanctiſſimè adpromittens, mercedem de cætero ſuam in vnius Dei manibus reponens. Tam pronam Antonij voluntatem probamus domum illam accipimus; in qua ſtrenuam nobis & inuictam operam præſtat, aquâ præſertim ab ipſo inde fluuio, ad noſtras vſque ædes humeris ſubuehendâ, cuius vim immodicam exhaurit, non tam rei familiaris neceſſitas, quam frequens, atque aſſiduus aquam ſacris precationibus dicatam poſcentium concurſus. Et certè diligentiam Antonij accelerabat ea cogitatio, quam nimirum conuehebat aquam fugandis dæmonibus, ægris perſanandis, amplificando Ieſu Chriſti nomini non mediocriter inſeruire. Solidos viginti annos ſtetit tam ſancti propoſiti tenax, omniaque humilitatis munia, quamquam difficillimis temporibus, pari tamen alacritate obiuit inuictus, vt ſuo dicetur loco.

Nec domeſtica tantum ſeruitia prouidit noſtræ neceſſitati inuigilans Deus, ſed ad inſtituendum quoque populum, cui muneri par eſſe non poteram vnus, aliis quippe occupationibus, puta concionum habendarum, doctrinæ Chriſtianæ, quater quinquies, de die, aliquando ſexies tradendæ diſtractus, auxilia ſubmiſit. Suam tanto muneri dicauit operam primus Franciſcus quidam, qui ſuam cum vberrimo fructu, zeloque maximo prouinciam gerit. Is Chriſto adiunctus fuit hac fermè ratione. Die quadam contigit, vt in frequentiſſimâ cùm Neophytorum, tum Ethnicorum coronâ perorans, præcipuum orationis impe-

tum exercerem in pietatem impiam Xacæ, aut Thicæ, de quo alias nobis sermo, qui primus in Tunchinense regnum sacrilegum idolorum cultum inuexit. Aderat dicenti Franciscus, qui Saij partes per id temporis agebat: is execrandæ superstitionis quam publicè professus fuerat, argumentis efficacibus conuictus, sub ipsum statim orationis finem in pedes se erigit, & in me conuersus, his verbis affatur. Annos ætatis 17. fidelem atque assiduam idolis seruij seruitutem, eo consilio, vt genitoris mei, prius ferè fato functi, quàm primæ vitæ limina salutassem, manibus, mea idola propitiaretur seruitus, & ad eos molliusculè habendos, voluntaria filij officia, gratos inclinarent Deos. Verum nisi tua nostris auribus illusit oratio, lusi operam, & in meam perniciem, nimis magna de vanis illis atque vmbratilibus Deorum simulachris sensi. Ecquid mihi tentandum putas, quo præteritos labores possim, vel redimere; vel compensare: Ego bene sperare iusso Saio, reposui, præpotentem illum rerum dominum, omni creaturarum omnium obsequio dignum, aspernari neminem, qui se ad ipsum ex toto corde recipiat. Idem sibi putaret agendum quod viatores solent, quos viarum ignorantia, bonam diei partem in flexus, erroresque varios abduxit: illi enim quamprimum ab errore se collegere, & rectam inire viam, acceleratâ pedum diligentiâ compensant, quod error absumpsit. Ipse pariter, si tot annorum tam male collocatorum iacturam resarcire vellet, à Deorum sacrilego cultu sine mora desciscere, in veritatis agnitæ partes concederet, certissimam impetraturus peccatorum veniam, si dicto audiens esset,

esset,& rectè factorum mercedem vberrimam collecturus. Non libentius consulentem audiit, quam audita celerius perfecit: Ergo idolorum templo, magnisque quos ex eo percipiebat, reditibus, nuncium remittit, prono animo vocanti Deo obtemperans, ac Spiritus Sancti gratiæ morem gerens, quam Ethnicis non paucis tam cumulatè postea impertiit, vt ad Christum adiunxerit bene multos, illius authoritati plurimum tribuentes: ipse Sacro fonte lustratus eo die, qui Sancto Xauerio est sacer, Francisci nomen à Baptismo tulit. Post paucos à Baptismo dies domum nos conuenit, & in communem earundem ædium vsum admitti suppliciter est obtestatus. Annuimus postulatis non illibenter, tum vt insigni teste nostra priuatim viuendi ratio non careret, tum vt eum erudiremus commodius ad omnes Christianæ disciplinæ præceptiones, quas ei diebus singulis per horæ spatium exponebamus: apprehendit verò memoriâ tam fœliciter vniuersas; vt è discipulo, magister, ex auditore, doctrinæ Euangelicæ explanator peritissimus, magno cum prouentu, paucos intra menses euaserit. Tum vero ingenuè fassus est, nostrum se conuictum captasse, eo consilio, vt explorare otiosius posset, nostrane cum dictis consentirent facta, & vita doctrinæ responderet, ac nunquam sibi constitisse clarius, de enunciatæ fidei veritate, cum religiosiora, sanctioraque apud nos obseruasset omnia, quam nostra verba præferrent, nosque vitam viuere multo sanctiorem quam hactenus consuluissemus. Post annos à Baptismo 15. Societati nomen dedit, in quâ, ne vel ipse quidem Nouiciatus decursu, quòd operarum

inopiâ

inopiâ laboraremus, doctrinæ Christianæ cum animarum incredibili fructu tradendæ, finem vllum fecit.



Abalienatur à nobis Rex Tunchinensis.

CAPVT XX.



FLorebant, & successu supra spem omnem prospero vtebantur res Ecclesiæ Tunchinensis, quippe à die Natalis Domini sacro, ad paschales vsque ferias quingenti censebantur Christo aggregati; inter quos eminebat vnus è primariâ nobilitate, cuius exemplo moti alij complures, numerosarum pellicum consuetudine ante baptismum abusi, à cæteris omnibus, vnicâ eaque legitima domi retentâ, missionem dedere: quæ tanta tam insignis victoria, Deum in terris remuneratorem habuit; vim siquidem non paucorum precationibus tam præsentem concessit Deus, vt importunos corporum exagitatores dæmones nullo negotio abigerent.

Tot cladibus exacerbatus Dæmon, dedecoris impatiens, nihil non molitus est, vt à nostris cæremoniis, propensum, saltem non infensum Regis animum abalienaret. Eam in rem amandatarum à Christianis pellicum operâ primum est vsus, illæ ad coniugium cum deterioris conditionis hominibus iucundum descendere detrectantes, tantos vrbe tota concitauere tumultus, vt ad ipsum vsque Regem peruenerint, qui

numerosum

numerosum Pellicum gregem cum alat in aula, domesticam sibi exprobari ignominiam, generoso subditorum consilio ratus factum ægerrimè tulit. Quippè putabat Regem eum esse debere, qui sanctitatis exemplo prælucerer subditis, non qui à subditis vitæ sanctioris exemplum acciperet, ergo stimulante ira nuncium ad nos destinat grauè admodum, ac durum, iisque conceptum verbis, quæ tam multis aliàs testatam experimentis beneuolentiam non saperent. Ea ferme erant huiusmodi. Quænam illa Patres, quo authore lata lex, quam toto vulgatis Regno Subditos meos plurium quam vnius vxoris consuetudine interdicitis, cum eos velim cum pluribus habere commercium, vt ex iis quot liberos, tot mihi fideles subditos suscipiant. Abstinete igitur ab ea lege promulganda deinceps; quod si iussis obsequi detrectatis, at scitote ad meos nutus contumacia capacia præscindi posse; & rebellem aduersùs imperata prohibitáve audaciam cum seditiosis capitibus amputari. Hæsimus aliquandiu ancipites ac dubij, veniretne tam durum nuncium, à Rege, qui nos hactenus tam molliter habuisset; loqueretturne tam grauia per internuncios, qui coram tam blanda locutus fuisset; Subiit animum suspicari inuentum illius, quem obscœnis numerosarum pellicum amoribus implicatum noueramus. Confirmauit suspicionem nuperi casus recordatio. Fur quidam de nocte clam in ædes illapsus cum senem offendisset, adhuc somno liberum, ei in aurem dixit, vt os illius vociferationibus occluderet, submissum se à Rege, vt incautum me opprimeret in lecto. Com-

Kk pressit

pressit vocem boni senis debita regiæ voluntati reuerentia, ergo cum se meum in cubiculum fur insinuasset à sene securus, obuia quæque secum abstulit, de cætero vim mihi attulit nullam. Itaque pendebamus animo, quid certi ea de re statueremus ignari; Animi certè non fuit satis in præsentiarum, ad Regem ea de re conueniendum; tantum mulierum multitudinem concionibus de more carpere pergimus, non tam intentatæ mortis periculum reformidantes, quam illam vnam laborum nostrorum coronam votis ambitiosioribus expetentes.

Cum primæ artes non omnino processissent ex sententiâ, nouos hostes nobis adornauit in aula regia infernus hostis. Eunuchos nimirum Pellicum custodes. Isti longo vsu, propensam in nos Regis beneuolentiam experti, subuereri cœperunt, amplificante metum Dæmone, ne Rex Christiana susciperet sacra, & è Christianis sanctionibus, amandaret pellices, quarum authoritate nil non impetrabant. Ergo Magiæ peritissimum me criminantur apud Regem, solitum me Lenocinantibus verborum præstigiis fascinare faciles mentes, fascinatas omnem in partem pro arbitrio inflectere, & homicidâ, si quando liberet, halitu necare. Hæc eo iactabant consilio, ne pestiferum deinceps hominem Rex ad familiare colloquium vel admitteret vel euocaret. Harum technarum & conflatæ mihi apud Regem inuidiæ planè inscius, mirabar ad priuatas colloquutiones in palatium me non euocari de more, ad mensam non adhiberi à Rege, qui sibi alias assidere iusso, dapes appositis augustis manibus ministrabat. Si quando me dignaretur

retur alloquio, raro vero dignabatur, è minus verba facere iubebar, atque adeo, cum minus acutarum aurium esset, per Interpretem Eunuchum, qui verborum meorum integritatem, pro arbitrio corrumpebat. Et hactenus quidem me latebat tam subitæ mutationis causa.

Tota disseminatus Aulâ, de meâ magiâ pestiferisque halitibus rumor sic inualuerat, vti die quodam, cum prætorianæ cohortis centurio vnus aliquis ad templum nostrum accessisset, qua solebam hora ad populum habere concionem, in ipsis templi foribus substiterit: Ego consilij ignarus, ad subsellia suggestui viciniora, tum honoris causa, tum vt dicenda commodius exciperet, quantâ possum humanitate compello, sed meticulosum auditorem fugauere meæ compellationes; abscessit ergo, & si qua aliorum dictis fides, ideo abscessit, ne nimia vicinia mortiferis meis halitibus opportuniorem præberet. Vbi subiit admirari, non tam credulam hominum simplicitatem, quam perniciosas Satanæ technas, quibus faciles illorum mentes à piis concionibus audiendis auertit.

Baptismum etiam ipsum in eandem suspicionem atque inuidiam vocare modis contendit omnibus hostis idem vafferrimus. Die siquidem quadam dominicâ, pomeridianis horis, cum omnem apparatum instruentem ad lustrandos Catechumenos supra 80. iamque ad ipsam Salis, quam in disco habebam, cæremoniam operando progressus fuissem, instigatus à Dæmone Ethnicus, furioso impetu inuectus, attendite (exclamat voce horrendum in modum,) contenta, miseri ad veneficium in disco latens, attendite his

dictis euolauit. Ad hæc ego meam circũnstantibus probaturus innocentiam, discum propono, in eoque salem patrium, dumtaxat piis dicatum precationibus contineri; vel ipsis oculis iudicibus euinco. Credidere visis omnes, nec fictitius venefici timor, vel vnum quidem à sacris fontibus auocauit.



Quibus lenimentis exacerbatum Regis animum, & artificiosè confictis hostium criminationibus occupatum placauerimus.

CAPVT XXI.



SVb hoc ipsum tempus quo nec aula, nec ipse Regis vt olim animus patebat nobis, deliquium passa est luna, cuius figuratam descriptionem fideliter adumbratam, in chartâ, quæ breuem præterea principij durationis, & finis explanationem complectebatur, paucis ante ipsum deliquium diebus, in publicum dedimus. Adiecimus, ne vel vnum quidem de duratione minutum detrahere posse tormentorum omnium toto factam imperio explosionem; Nec vero, maiorem ea quam notaueramus, partem ab infesto dracone haustum iri, tametsi ad leuandos illius labores, hostemque deterrendum, nihil planè non moueant Cinenses. Omnes ad Regem aditus nobis præcluserat semper erecta vigilque hostiũ nostrorum inuidia; sed inuidiam vicit industria, breuique perfectum est à nobis, vt in Regis manus descriptionis tabula veniret. Ille circunspectâ curiosius

chartâ

chartâ graui pœnarum interminatione prohibet explodi tormenta, aut aliud quidquam fieri eorum, quæ Cinensium superstitio, ad leniendos lunæ labores, ea nocte solebat adhibere. Cumque adumbratis Lunæ discriminibus, veri respōdissent labores, & eandem pugnam cœli arena dedisset, quam anteuerterat charta, Rex ipse verbis magnificis cohonestatâ nostrâ peritiâ, nostrum aduersus obtrectatores patrocinium in se suscepit. Non tamen omnis congressus nostri timor excussus, nec pristinarum consuetudinum eadem vel frequentia, vel facilitas erat: quippe illius animum curis ac cogitationibus variis duo maximè hominum genera distrahebant.

Primi erant venefici & incantatores, qui tam commodum audiendis calumniis, quam stultis, Dæmoniacisque superstitionibus opportunum Regis animum experiebantur. Hoc hominum genus in nos exacerbauerunt edita à Neophytis vbique terrarum, in ægris ad sanitatem restituendis prodigia, vnde non de veneficiorum authoritate, dumtaxat, sed de fructuum quos è veneficiis colligebant, amplitudine non parum decessit. Ergo sua vlturi damna, cum obseruassent. Vitâ functos esse nonnullos ex iis, ad quos sacro fonte purgandos euocati fueramus, cum iam in supremo discrimine versarentur, legem Christianam, gem mortis per deridiculum vocitabant; Regique passim obtrudebant, venisse, nos vt fideles subditos, vt exercitatos quosque milites tolleremus, ac demum nudatum viribus Regem hostium manibus committeremus, quam certè calumniam tum quotidiana satis diluebat experientia, tum acre ac

viuax in primis Regis ingenium refellebat.

Subiere altius illius animum Laicorum obtrectationes: Illi non tam desertorum idolorum, quam imminutorum censuum dolore commoti, vt idolis addictissimi Regis animum à nobis auerterent per id temporis vir nobilis cum totâ familiâ sub Christianæ fidei iugum concessit. Is adhuc Ethnicus, suis impensis domum ædificauerat prophanis idolorum cultibus addicendam, aram tamèn adhuc in ea nullam erexerat, nullum collocauerat idolum, vt sacro fonte lustratus fuit, mutato cum religione consilio, statuit apud se, sanctiores ad vsus, ad Dei nimirum ac Christi Iesv cultum eam traducere. Demum igitur vltro nobis offert, solemni Xianorum rituum pompâ Deo dicandam; Tametsi prolixam Neophyti voluntatem laudauimus, eam tamen accipere non placuit, nec tentare quicquam prius, quam locum otiosius recognouissemus; ne eadem esset illius conditio quæ templi cuiusdam, extra vrbis pomœria conditi quorundam Ethnicorum sumptibus qui post data Christo nomina, nobis illud, in Ecclesiam conuertendum obtulerunt: sed cum prophana omnia, superstitiosis polluta ritibus, superimpositaque altaribus idola reperissemus, visum est nobis oblatum non accipere sed sibi omnibusque tempestatum iniuriis permittere, lenta periturum ruina, ne Idola comminuentes cultorum in nos inuidiam atque odia conuerteremus quæ causa Canonum conditores mouit, vt illud intentatâ pœnarum grauissimarum mulctâ prohiberent. Verum postquam nostri Neophyti domum lustrauissemus, situm illius peropportunum recognouissemus,

uissemus, sancta omnia, nec dum prophano idolorum conspectu corrupta animaduertissemus, eam accepimus non ægrè & solemni ritu Deiparæ Virgini dicauimus; aræ imposuimus illius imaginem, natum amantissimum, in materno sinu placidissimè conquiescentem, qualem scilicet adorauere Magi, præferentem: Eâ in arâ cœlestem victimam Deum incruento sacrificio mactauimus Demum sacris operationibus ritè perfectis, piam cohortationem cui dicandarum ædium ritus argumentum suffecit accommodum ad numerosam quâ Neophytorum quâ Ethnicorum qui aderant stupore ac veneratione defixi coronam habuimus.

Ad hæc exarsit scilicet triumphatus Dæmon, & tartareis instigatos facibus sacrificulos in aulam traxit ad instruendas nobis coram Rege calumnias & adornauere quidem liberaliter, nunc comminuta templi idola nunc violata Deorum iura furiosè vociferantes; Regias partes esse Deorum saluti consulere, hodieque statuere, an peregrina lex illa, idolorum cultibus exitialis, patriæ, & ipsis adeo cum Cinis natæ Religioni præhabenda videretur. His incitatus furiis Rex, inconsulta temeritate præceps adhibitis pœnarum grauissimarũ minis edicto sancit, ne subditorum quisquam in posterum posthabitis patriis sacris Christianos indueret ritus, idolorum, quæ Cinenses ab æuo coluerant. Protinus ad nostrarum ædium foras, in nostris ac complurium Neophytorum oculis edictum affixere satellites Regij. In magnam enimuerò sollicitudinem ille nos casus adduxit; sed languescentem suorum constantiam excitante

Deo,

Deo, quasi de cœlo moniti, ad Regium aduolamus palatium, repræsentandæ causæ copiam nobis fieri postulamus; facit non ægré Rex. Ergo vetera hostium nostrorum odia nouas quot diebus calumnias nobis adornantium nouas struentium technas exponimus, quas procliuè esset oculatissimæ suæ Majestatis sapientiæ retegere: Regiam in nos munificentiam, cumulatamque liberalitatem innocentiæ nostræ tot accusatorum calumnias conflauisse. Eum denique obtestati sumus, ne tãtum tribueret effrenæ calumniatorum nostrorum petulantiæ, vt ne ante causam cognitam præiudicatos nos damnaret. Eam in rem dum causæ nostræ otiosius cognoscendæ incumberet, edictum si liberet rescinderet, quod pro nostris foribus regio iussu pependerat.

Incredibile dictu quam suauiter efferatum Regis animum mitigauerint preces nostræ, illum certè nobis ita placauere, nihil vt nostris non concesserit postulatis; amplissimam toto regno promulgandæ fidei Christianæ potestatem indulserit, ea tamen lege vt à comminuendis idolis abstineremus. Egimus vt par erat immortales pro tanta humanitate gratias, sanctissimè testati Neophytum nos hactenus nullum ad idola comminuenda induxisse interdicto potius seuerissimo, ab eorum violandorum mente quantum in nobis fuit abduxisse, & in pacifici IESV verba iurantes ad amica pacis consilia inclinasse. Hisce responsis mirè recreatus Rex cum boná tandem veniâ dimittit, iussis subsequi ministris cum liberali cibariorum copiâ, quæ in Neophytos dispertiimus, toto nostræ allocutionis tempore in

eo

eo consilio, vt precibus Regem Regum nobis placarent, interea dum Regem illius subditum eius cultoribus conciliare modis omnibus niteremur, illi igitur vt videre ab Aulâ reduces; tam piæ causæ, regiæque insuper beneuolentiæ victores, humanorum cordium triumphatori Deo, non tam Eucharisticum, quam Epinicium cecinere.



Neophytorum zelus, ac pietas in festis per annum recurrentibus celebrandis.

CAPVT XXII.



SAcram Natali Domini diem, apparatu, quam nostræ ferebant vires magnificentissimo cohonestaueramus: puta Cathecumenorum complurium publicâ lustratione, qui fœlici piacularium aquarum partu, nato Christo renati sunt; piis insuper, ac festiuis cantiunculis ad sanctam alacritatem compositis sub eam noctis horam, quâ in terras prodiit Deus infans, canorè & cum incredibili triumphantium animorum gaudio recitatis. Quia vero iustas ob causas nocturno ædium nostrarum aditu interdictæ fuerant mulieres: in templum confluxere, atque adeo illud compleuere tam matutinæ, vt ipsum diei ortum anteuerterint: Christi recens nati imagunculam, tum ad adorationem, tum ad piam suauiationem produximus, tanto ardori obsequentes: Adorauere igitur omnes, & religiosa fixere oscula, eo pietatis sēsu, qui capi facilius, quā dici possit.

Sequebatur ordine celebrandum anni ineuntis exordium. Solemne est Ethnicis annum totum prophanis dicare superstitionibus, trium primorum illius dierum publicâ temeratione; nos sanctioribus cæremoniis consecrauimus pietati. Illius capsulæ loco, quam summæ perticæ, ad ipsa domorum limina depactæ illigatam ostentant Ethnici Crucem sanctissimam moniti præfixere Christiani. Vidisses in omnibus fere ciuitatis regionibus, salutarem illam arborem, super editissima palatiorum tecta, sese efferentem magnificentius, illustre Dæmonum terriculum, Beatorum mentium delicias: Vidit Rex ipse dum per vicos vrbis principes eà quam alibi descripsimus pompâ, circumferretur: Et, en, inquit, Christianorum vexillum. Tres igitur primos anni instantis dies, sanctis hisce, exercitationibus, quas indixeramus, æquauere. Et primum quidem conditori conseruatorique Deo, secundum humani generis restauratori Christo, tertium Spiritui sancto, gratiarum largitori, suæ ad Euangelium vocationis authori, tam insignium beneficiorum memores dedicauere. Atque vti ne vel vnius quidem zelus ac pietas desiderata est, ita nemini consolatio cœlestis defuit.

Tam fausta anni exordia excepit Purificatæ Virgini sacra dies, quam vt debita ornaremus pompâ, ex solemni Ecclesiæ ritu, appositis benediximus cereis, singulos & accensos illos quidem, cum singulari lætitiæ pietatisque sese prodentis in vultu significatione, per totum templi ambitum singuli circumtulere Neophyti: Moniti insuper singuli, cereum vnum domum secum asportauere, tum, vt, si quid humanitus

contin

contingeret, ad mortem fœliciter prælucerét; tum vt imminentis ad momenta ſingula mortis memoriam opportunè refricaret: Tametſi enim mentionem mortis auerſantur Ethnici, nec illius nomen, coram viro dignitatis aut nominis alicuius vſurpare audeat quiſquam, ſed, ſi qua vrgeat neceſſitas, liceat tantum variis tectum ambagibus indicare, ne pronunciatum, meticuloſas lædat aures; Noſtri tamen Neophyti, & inter eos nobiliſſimi, qui adeo formidabile non auerſantur nomen, vt frequentes gaudeant, de morte, deque illius fortiter obeundæ ratione ſermones ingeri: Cereas vero faculas ad hoſtem animarum infenſiſſimum tenebrionem inquam illum fugandum valere non mediocriter putant.

Aberamus propius à quadrageſimali ieiunio: laborandum nobis non fuit, vt piam illam in ſua corpora crudelitatem Chriſtianis Tunchinēſibus probaremus. Cum enim eos non lateret, quam ſeueram Ethnici nonnulli, pietate in Deorum cultum fictitiæ moti, ſibimetipſis indicant abſtinentiam, non ab vna dumtaxat carne, aut ouis (de lacte nihil dico, nec enim in hiſce regionibus adhibetur) ſed ab omni quoque piſcium genere, nec in vnum tantum aut alterum menſem, ſed in reliquam vitæ periodum, eamque tam religioſæ colant, vt brutæ animantis, & alitis cuiuſcumque cædem, eidem plane crimini, atque hominis cædem ducant; hæc inquam omnia, cum ipſos non ſubterfugerent; indictumque ab Eccleſia ieiunium ab eâ ſeueritate longius abeſſe viderent, repertus eſt eorum nemo, quos quidem à ſua lege non abſoluit pia mater Eccleſia, qui in ſaluberrimam illam ſui corporis

indicta abstinentia macerandi legem non consenserit lubens, sanctissimeque eam coluerit. Imo cum sub ipsum aduentus initium, innuissemus nonnullos, pro religiosâ suâ consuetudine, tempus illud sanctissimum, ad Christi natalitia voluntario transigere ieiunio, Christiani omnes, si paucos, excipias, eam sibi abstinentiam indixere.

Vertente quadragesimâ, palmarum ramos solemni precationum ritu dicauimus; cum enim Olivueta non ferat Annanense regnum, palmis vero scateat nobilissimis, eas ad hancce cæremoniam adhibuimus. Tam frequens fuit, non Neophytorum modo, sed etiam Ethnicorum dicatas palmas expetentium, concursus, vt non ipsum cum sacris ædibus hospitium, non area quæ templo præjacet, tametsi capacissima, confluentium multitudinem amplecti posset. Asseruauere domi religiosè quas abstulerant palmas Christiani, iisque velut armis victricibus Dæmonum insidiantium conatus fregere, molestosque vexatores ab Energumenorum corporibus eiecerunt. Expiauere peccata sub hæc tempora vniuersi; cœlesti tamen pane refici non potuerunt omnes, quippe præparatas ad id hostias, infernus credo ignis absumpserat. Quanto cum pietatis sensu, quanta cum lachrymarum eluuione ad Christum de cruce pendentem adorandum accesserint, satis assequi verbis non possum.

Cum ad celebranda tenebrarum mysteria non sufficeret paucitas nostra, nec subuenire paucitati possent Neophyti, quippe librorum nostrorum non intelligentes; ne tamen consolatione careret illorum pietas, in capita 15. præcipua, Passionis mysteria distribuimus, ita

ita vt pôſt recitatam decies non interrupto ordine ſalutationem, (prælegeretur aliquid, quod ad vnum è præcipuis illis capitibus pertineret, breuis meditationis argumentum;) ſuccederet lectio, breuiſque meditatio, cui vnum è præcipuis illis capitibus argumentum daret. Ardentium Romano ritu cereorum vnus extinguebatur. Tanta vis, per haſce cæremonias, lachrymarum fuit, tantæ complorationes, Chriſto compatientis animi teſtes, vt à tota vicinia, miſſi gemitus exaudirentur; monendique fuerint de moderatione adhibendâ ſuſpiriis, ne damnanda propinarent Ethnicis myſteria, quæ ipſi non caperent.



Chriſtianorum quorundam non fœliciſſima.

CAPVT XXIII.



CElebrauerant hoc anno Chriſtiani, quantâ maximâ potuerant religione, ſolemnia ſaluatoris reſurgentis myſteria; ſed ab eâ feſtâ celebritate, vix euoluta erat octaua dies, cum nobis tres viros, eximiè pios, notiſſimæque inter omnes virtutis acerbiſſima mors eripuit, perpetuam vti ſperamus acturos in cœlis feſtiuitatem.

Primus omnium ante ſeptem omninò menſes Chriſtianis ſacris expiatus, Thadæi nomen adeptus erat; ac tametſi corporis viribus erat infirmiſſimus, animi tamen robore prorſus infracto, Domini legem, dies, noctesque meditabatur. Cum autem grauiſsimo afflictus morbo, intellexit imminere ſibi diem decretoriam,

toriam, quâ æterna ſalus vertitur, vocari nos abſque morâ iuſſit, vt ad tantæ rei negotium ſtrenuè obeundum, opportuno ſubſidio iuuaretur: nos ad eum è veſtigio accurrentes, ante omnia, peccatorum vnicum remedium, confeſſionem ritè faciendam, ſubiicimus. Ille alacri ſtatim voce quærere, num expediret ea etiam peccata quæ baptiſmo ſuſcepto anteriora forent, in hoc pœnitentiæ ſacramento omnia exponere. Id cum audiſſet negari, peccata enim omnia baptiſmi aquis piacularibus ita deleri, vt nullum deinceps eis curandis remedium quæri debeat, niſi doloris ea crebrò retractantis, & intimis ſenſibus deteſtantis. Deo igitur laudes ſint, (inquit exiliens gaudio Thadæus,) paucis enim menſibus illis, cùm baptiſmum ſuſcepi, vix aliquid me habere ſentio, in quo me reprehendat cor meum: nam tametſi ante illud tempus, memini ſanè, plurimis ac nefariis ſceleribus fuiſſe me inquinatum, at ab eo tamen articulo quo Chriſto per fidem tranſcriptus ſum, Dei legem tàm altè in animum demiſi, vt quâ re illam violauerim, equidem non inueniam. Atque hæc cum incredibiliter geſtiens, ſecum ipſe ac Deo diceret, libellum orationum in quo exaratus erat decalogus, impoſitum habebat capiti, & ſubinde multa ſuſpirans ſuauiſſimè deoſculabatur: ego hîc ægrotantem multis ſermonibus ſolatus, poſt piiſſimas ad Deum preces, recedendum ab eo putaui aliquantulum, vt ſpatij aliquid haberet ad quieſcendum, habuitque omninò, quippe cum breuiſſimo interuallo, ſuſpenſo veſtigio ad eum propiùs accederem, exanimem reperi, exhalarat videlicet puriſſimam animam in oſculo Domini, pium illum libellum

libellum precationum, & diuina præcepta supra pe-ctus deuotissimo affectu stringens.

Alia sub idem tempus duos Neophytos acerbissima mors extinxit, genere nobiles sed virtute clariores, vtrique Petri nomen inditum erat in baptismate, atque ambos illo ipso die morientes vidimus, quo solemni Ecclesiæ ritu Euangelium prælegitur de Petro in Christi monumentum introeunte. Tristissimus videlicet nobis, & Ecclesiæ Tunchinensi luctuosissimus illuxisse visus est ille dies, in quo duas illius columnas ruere conspeximus. Primus eorum regiæ cohortis dux erat primarius, quem habebat clarissimum, multisque ornatum beneficiis ad grauissima regni negotia crebrò adhibebat. Ille vbi primùm Christo se addixit, euocauit sedulò filios omnes, serióque monuit, constitutum sibi omninò esse neminem habere loco liberorum, qui supremum rerum omnium conditorem Deum, & filium eius Christum Iesum, ritè non agnosceret, quâ oratione omnes permoti, salutari lauacro expiati sunt, inde concubinis omnibus domo eiectis, reliquos domesticos Christianis mysteriis paulatim imbuit, & per sacrum etiam fontem, gratas manubias Christo duci obtulit. Neque his erga suos officiis contentus, in aliorum etiam omnium salutem impensissimo excubabat studio. Nullus enim dies erat, in quo, postquam in aulâ regiâ omni officio suo defunctus erat, non conuolaret illicò ad Ecclesiam, cœlesti regi meliorem operam nauaturus. Atque vt id faceret vtilius, interim dùm ad prouectiores solita concio haberetur stabat ipse; ad fores tanquam Doctor, & apparitor, indoctiores enim eru-

diebat

diebat sacrorum nostrorum scientiâ,& tardiùs venientes prohibebat, ne importuno strepitu turbarent audientium quietem. Quæ res, & Christiani iuxta,& infidelibus curiosè hùc accedentibus pro miraculo erat, continebatque omnes modestissimè in officio, quod notissimum vulgo esset, quantùm ille apud Regem valeret gratiâ, & authoritate.

Cum igitur vir eximius huiusmodi virtutum radiis Ecclesiam nostram illustraret, probare adhuc illum, atqui in fornace tribulationis expurgare, Deus voluit, immissis in domesticos eius ferè omnes morbis acutissimis. Sedecim sub finem quadragesimæ, in eius domo decumbebant, partim liberi, partim famuli, quibus ipse subleuandis, quâ curis, quâ laboribus semper aderat. Vnde breui debilitatus, in lethalem etiam ipse incidit ægritudinem, cuius periculo statim cognito ad negotium salutis omnem cogitationem cœpit conuertere, aderamus nos ei, atque omni Christiano præsidio iuuabamus laborantem. dici vix potest quanto mœrore nostro exeuntem è vitâ optimum virum prosequeremur. Optabamus, atque omni prece à Deo etiam atque etiam postulabamus, relinqui adhuc nascenti huic gregi pastorem adeo necessarium atque salutarem. Sed aliter summo pastori ac principi visum est: eripuit nobis illum, & cœlo iam idoneum placidissimâ & sanctissimâ morte defungi voluit, & cœlestibus pascuis inferri. Nihil nobis eâ morte luctuosius poterat contingere, quâ Christianis omnibus parens optimus est ademptus,& ipsis Ethnicis data impiæ obtrectationis materia, per quos vulgò iactatum est, atque ad Regis etiam aures perlatum, nos

illius

illius mortis reos eſſe, non aliunde tantum illum virum quam à nobis necatum fuiſſe. Quâ ſtultiſsimâ calumniâ magnam ſenſimus nobis apud vulgus credulum conflatam eſſe inuidiam, atque apud Regem ipſum odij materiam quod breui poſteà exarſit.

Huic acerbiſsimo dolori noſtro eâdem prorsùs die, maximus acceſsit cumulus, alterius etiam Petri obitu præpropero, atque luctuoſiſsimo. Erat autem is ipſe à quo paucisſimis abhinc menſibus, dono acceperamus eximiam illam domum, quam idolis colendis extruxerat adhuc infidelis, deinde vero ſuſceptâ fide melioribus auſpiciis Chriſto Saluatori conſecrari voluerat: amabatur in paucis à regis fratre, atque ab eo in prouinciam *Thinhoa*, negotiorum causâ miſſus periculoſo morbo laborare cœpit. Id autem in tanto malo grauiſsimum ſibi eſſe palàm profitebatur; quod noſtro conſpectu alloquioque frui nequaquam poſſet, neque fortaſſe fruiturum, priuſquàm excederet è vitâ. Poſtquam ergo cognouit nihil ampliùs in medicorum præſidiis, ſpei ſupereſſe, voluit ſtatim militum hnmeris in regiam vrbem deportari, centum quinquaginta milliaribus diſtantem. Corporis vtique fatigationem, morbi vim acerbiſsimam, imò & mortem ipſam pro nihilo habens, modò ſuauiſsimo patrum ſuorum (ita nos ille compellabat) authorumque ſalutis ſuæ, viuus adhuc ſubſidio iuuaretur. Conceſsit optimo viro Deus, id quod omnibus votis expetierat. Delatus eſt in regiam ſpirans adhuc, ſed extremo ferè impetu animam adhuc ægré trahens, nos autem vt conſpexit, audiuimus illico erumpentem in pias gaudij lacrymus atque illud Simeonis Canticum

ingeminantem nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, id enim optabat vnum, ac nos amantissimè complexus, voluit supplex in genua erigi, vt deum etiam morte suâ adoraret, atque in eo pietatis munere diem clausit. Conuenere ad eius exequias frequentissimi Christiani omnes, quotquot in regiâ eâ vrbe tunc agebant, easque summo quidem animi mœrore, sed pompâ tamen maximâ concelebrarunt.



Prohibetur nouo Regis edicto, Euangelicæ prædicationi vlterius operam dare.

Capvt XXIV.

DVo Christianorum primariorum funera incredibilem rebus nostris, & toti Christiano gregi attulere cladem. Quippe aduersarij in omnem nocendi nobis occasionem intentissimi, eximiéque facti ad calumniandum, nacti quod maximè optauerant, innumeris mendaciis populum in nos commouebant, adeo vt ad Regem etiam ipsum, tetrum virus serperet. Totum videlicet tempus paschale, quod Christiani vbique gentium tam effusâ piâque lætitiâ concelebrant, nos in mœrore, ac perenni gemitu peregimus. Nam tametsi suum semper cursum Euangelij promulgatio teneret, plurimique, ac primariæ notæ quâ viri quâ mulieres ad Ecclesiæ, sinum conuolarent, censebantur quippe anno illo 1628. nouæ huius Christi vineæ læta germina mille sexcenta. Imò & tantum

tantum in eorum pleriſque feruoris erat & diuini zeli, vt non pauci,ex variis vndique prouinciis in patriam vltrò remearent. vt ſuos Chriſto lucrarentur. Inſignis per eos dies extitit Petri cuiuſdam militis zelus, is enim in patrio ſolo,ducentis circiter à regiâ vrbe milliaribus vxorem ac filios,adhuc teneros deportari curauit ad nos, & Chriſtianis ſacris initiari.

Neque tamen intereà dormitabat nequiſſimi Dæmonis furor, ſed totus ad impediendos adeo lætos Euangelij progreſſus excubabat, ſuſcitauit enim in perniciem noſtram, perditiſſimi cuiuſdam hominis rabiem ex prouinciis memorati ſæpius rebellis. *Ciüa Chan*, cui etiam longo tempore adhæſerat. Is Saij munere aliquandiu perfunctus cum videret, lugerétque ſquallentia iam templa vbique deſeri, & Idola contemptui haberi, confluere turmatim populos ad Eccleſiam, & Chriſti nomen toto regno latè celebrari, conuertit impius veterator ad alias fraudes animum, cœpitque ſub ſignis perduellis illius Reguli exercere latrocinia, & in ſubditos Tunchinenſis Regis incurſiones facere. Sed à Regiis comprehenſus cohortibus,atque ad Regem deductus,vbi ſatis intellexit nullam ſibi eſſe poſſe reliquam acerbiſſimæ mortis vitandæ viam, cogitari tamen cœpit noua ſcelera, quibus eam ſaltem in aliud tempus reiiceret. Et altiſſimà vt poterat voce inclamare, parcite inquit infortunatiſſimo capiti, ciues amantiſſimi, differte pœnas atrociſſimas quas commerui, erit indulgentiæ veſtræ in me fructus vobis optatiſſimus, totique Regno veſtro admodum ſalutaris. En reſero vobis, ſi annuitis, iniquiſſimam in vos Regemque veſtrum

coniurationem, modum edissero, authores patefacio. Videtis Europæum hunc sacerdotem, fraudes vbique suas, & noua mendacia omnium auribus impunè ingerentem, En ille est qui cum Ciüachan Rege meo, & Cocincinæ principe, pacto fœdere; regiam propediem vniuersam cum Christianis suis ferro ac flammis vastare meditatur. Dùm interim cum infestis copiis ab aquilone inuolabit Ciüachan, Cocincinensis autem ab austro irruet Sic inter eos coniuratum, sic haud dubiè perituri breui estis, nisi malum imminens, sapientiâ vestrâ, & prudenti consilio meo vsi, præuertatis.

Hæc vbi asseueratissimè ab impio impostore pronunciata fuere, exiere statim in vulgus atque ad regem etiam ipsum sunt perlata. Nos autem à Christianis nostris de tota re maturè moniti, nihil donec à Rege vocaremur, intereà mouendum duximus, sed conscientiæ nostræ testimonio freti, atque in diuino præsidio totam spem reponentes procellæ ingruenti animum parabamus. Cum ecce Rex tàm assiduis atque tàm atrocibus aduersariorum nostrorum criminationibus fatigatus, postquàm nutasset aliquandiù, erupit tandem atque in nos huiusmodi edictum iratus intorsit.

Nos Rex tametsi perspectum habemus, ab Europæis hisce hominibus, quibus in vrbe hâc nostrâ regia liberò habitare concesseramus; saluberrimam adhuc doctrinam populis nostris fuisse traditam, quia tamen non satis comperimus quid facturi deinceps sint, vel quænam consilia taciti animo voluant, seuerè prohibemus ac capitis propositâ pœnâ subditis omnibus nostris interdicimus, vt ne quis post hac ad ipsos adeat, aut sermones eorum audiat, neve legi huic nouæ

uæ suscipiendæ ac profitendæ animum adiiciat. Hæc fuit summa regij rescripti, quod non chartæ vt mos est voluit inscribi, sed in altissimo stipite grandioribus exarari litteris, atque nostrarum ædium vestibulo insigi.

Agebatur tunc fortè dies Augustissimæ Trinitati sacer, cum tota in nos repentè visa est commoueri ciuitas, & domus nostra miserabili vndique horrore concuti. Confluebant turmatim ad nos frequentes Ethnicorum bacchantium manipuli, miscebantque omnia risu, furore, vociferationibus. Iactabant videlicet supremam nobis haud dubiè futuram illam diem, nihil nobis certius morte per Regis ministros statim inferendâ, quo nuncio nihil sanè suauius atque optatius audiri à nobis poterat, iucundissimum quippe erat, qua die iubebamur à Christo Domino docere omnes gentes, & baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, eadem, fidem illam nostram veræ sempiternæque Trinitatis, fuso sanguine obsignare.

Hâc cupiditatis flammâ incredibiliter animati, quâ voluptate intùs in animo fruebamur, eandem ore toto constanter præferentes, Christianos primum amantissimè dimittimus, ne quid nostrâ causâ incommodi paterentur; deinde supplices ad altare prouoluti è quâ, pulcherrima Christi effigies appensa cernebatur, expectamus optatissimum illum ensem qui salubri vulnere coronam Martyrij effingat. Cum ecce, infert se in interiora templi petulantissimus quidam ganeo, fuste armatus, furorem toto vultu, ac sermone præferens, audacterque imperat dirui continuò altare, amoueri effigiem prophanam, vestigia omnia scelerum.

 aboleri

aboleri. Nos quantâ maximâ possumus suauitate ac constantiâ, impudentem repellimus. Erectum esse nobis, annuente, atque approbante Rege, templum illud, extructam aram, imaginem appensam, neque fas vlli esse, nisi de mandato Regis illa dirui. Tum furcifer, ego (inquit) ego iubeo, ac mando, hanc totam superstitionum sentinam expurgari, atque in his vocibus, ad altare sacrum petulanter insilit, inuolat in sanctissimam imaginem, eamque impacto fuste sacrilegus impetit, & venerandam Christi manum impiè percutit, ac infringit. Diceres voluisse optimum Dominum, obiectâ manu suâ, vt scuto firmissimo, amoliri à nobis impetum hominis sacrilegi, atque in suâ imagine omnem contumeliam potiùs suscipere, quam nobis aduersi aliquid contingeret. Quippe dolores nostros ipse semper portare paratus est, & cum in suo ipse corpore nullius iam sit mali capax, in suâ saltem effigie tolerare iniuriam non detractat. Nos tam acerbo spectaculo statim territi, in amplexus ruimus sanctæ imaginis, stringimus, osculamur, deinde in hominem sacrilegum conuersi, obsecramus etiam atque etiam, furorem totum in nos expleat, cruciet, dilaniet, exterminet, abstineat tantum temerario ausu, sacræ imaginis religionem violare. Non impunè tulit facinus tàm atrox, iniquus Satanæ minister, quarto ab hinc mense furti conuictus atque iudicum sententiâ damnatus pœnam tulit, sceleri suo parem, præcisi sunt ipsi, manus vtriusque digiti eundem prorsus in modum, quo priùs munificentissimam Christi manum in suâ imagine ipse læserat.

Quantus



Quantus Chriſtianorum omnium mœror fuerit in acerbiſſimo illo caſu.

CAPVT XXV.

DIruta altari ſacro, ſtabat tamen adhuc domus, quæ regis authoritate conſtructa fuerat, ſed ad nos venire, aut nos alloquio ſolari, Chriſtianorum licebat nemini, excubabat enim ad fores, aditumque omnem intercludebat lecta militum manus, cauebatque ſedulò, ne cuiquam irrepere ad nos ſecretò liceret: imò nec nobis, ad placandum Regem vlla via relicta erat: obſtantibus iiſdem illis vigilum manipulis, in hâc igitur rerum noſtrarum perturbatione, nihil tunc quidem viſum eſt opportunius, quam in ſilentio, & ſpe, optimi præſidis, ac parentis noſtri opem præſtolari, atque in eius ſinum curas omnes, deponere: Cum enim perpetuum illum ſeptem menſium laborem, quo à concionibus, aliiſque miniſteriis obeundis, nunquam vacaueramus, interrumpere neceſſe fuit, tunc vero experiri cœpimus fractas vires, & quam in ipſo feruore occupationum, non aduerteramus, proſtrati corporis laſſitudinem perſentiſcere. Quamobrem opportuniſſimâ illâ occaſione vtendum rati, ad reficiendas continuâ 15. dierum vacatione, corporis, ac præcipuè ſpiritus vires, ſalutare nobis otium indiximus, in quo ſpiritualia de more ſocietatis exercitia obire inſtituimus. Fuitque conſilium illud diuinæ in nos prouidentiæ maximum beneficium, ſi enim quâ mentis contentione;

ne; adhuc in quotidianis laboribus versati eramus, eandem non interrupto cursu tenere fas posteà fuisset; defecissent omninò vires, & contracto languore vel moriendum, vel cessandum erat in omne reliquum vitæ tempus.

Post illam autem paucorum dierum quietem ad pristinas restituti vires, atque in diuinæ gloriæ propagandæ cupiditatem ardentiùs intenti, explorare cœpimus, quid tandem consilij turbidis in rebus capi expediret. Cum ergo toto illo anni vnius, ac paucorum insuper mensium spatio, publicè hactenus ac palam ad fidem & pietatem omnes insonante veluti classico, essent euocati, tunc tamen consultius visum est priuatim, ac occulté per domos plurimas discurrendo, inuitare ad regnum cœlorum, & compellere intrare: licet enim Christiano nulli fas erat penetrare ad ædes nostras, aperiebat tamen ingeniosus ardor aliquando aditum, atque in nostra occultè penetralia succedebant. Et nonnulli quidem interdum piâ fraude, mendicantium induti habitu, veluti stipem petituri adrepebant, quidam vicinas ingressi domos viam sibi muniebant in nostras, alij demum nocturnis tuti tenebris, per deuia ventitantes custodum fallebant vigilantiam. Quæ omnia quia periculi erant plenissima, statuimus deinceps ad Neophytorum potiùs ædes silentio adire, quibus id futurum esset commodissimum atque in iis omnia consuetæ pietatis officia religiosi obire.

Primus ad cuius conuenimus domum, Ignatius fuit dux equitum nobilissimus qui cum veniendi ad nos, coramque colloquendi, maximo iam diù teneretur desiderio,


deſiderio prohibitus tamen adhuc erat, mittebatque crebrò famulos, per quos de rebus noſtris certiora diſceret, inter eos vnus erat eximiâ indole, ac ſingulari animi candore adoleſcens, quem etiam Ignatius, cum propriis caueret liberis, habebat chariſſimum, atque in filium adoptauerat. Is ex ampliſſimâ hâc familiâ primus omnium Chriſto nomen dedit, cæteroſque omnes deinceps, atque ipſum quoque ducem Ignatium Chriſtianæ militiæ ſignifer aggregauit. In eâ itaque domo, ampliſſima nobis parata eſt exedra, in quam conuenire plurimi commodè poſſent, ac nos ſalutaribus eos monitis ad fidem erudire, tenuit nos aliquot dierum ſpatio, hic labor, multi eo in oratorio per baptiſmum luſtrati, multi ad illum ſuſcipiendum accenſi, plures eo iam ſuſcepto, ad pietatem benè ſunt animati. Sed alio nos ſtatim vocare cœperunt, vicinorum circunquaque pagorum incolæ, atque ad meſſem ampliſſimam colligendam compellere. Plures in iis erant Neophyti, quorum in domos incredibili beneuolentiæ ſignificatione recepti, ſtatim quæ noſtri erant inſtituti propria impigrè obiuimus; fuit in iis inſigni animi pietate, fideique zelo Petrus quidam, pater familias clarus in paucis. Qui cum liberos omnes, ac famulos Chriſtianis imbutos myſteriis ad fidem adduxiſſet, tum etiam ad extraneos omnes Chriſto lucrandos porrigebat ſe optimi viri charitas. Euocabat ſtudioſiſſimè paſſim omnes ad ſacram Catecheſim, tantique ad capaciſſimam eius domum fiebant concurſus, vt illis qui conuenerant capiendis eſſet anguſtiſſima.

Mihi ſanè præſtantiſſimi ac verè Christiani ho-

minis digna videtur pietas quam insigni exornem encomio,& proponam in exemplum exquisitissimæ in familiâ piè instituendâ sedulitatis. Surgebat ille semper constantissimè primo manè, ac statim domesticos omnes iubebat somnum excutere, atque ad preces conuenire. Accedebant autem omnes ad aram in intimo conclaui decorè instructam, pulcherrimâ supellectile ac imagine appensâ egregiè ornatam. Tum ipse Christianas precationes clarissimâ voce piissimè pronuncians, iubebat subinde à singulis etiam puerulis accuratè repeti quæ dixerat, donec solemne orandi pensum per dimidiam horæ partem persoluerent, instaurabatque sub noctem eandem pietatis formulam, ad quam dato signo domestici omnes frequentes aderant, finitâque precatione taciti exibant, vel ad somnum, vel negotia domestica.

Memini ego sanè, non sine voluptate quâdam animi suauissimâ, conspicere me aliquando cum forte precationi consuetæ interessem, puerulum quinquennem, eximiâ formâ & indole amabilissimâ, orationi cum aliis dantem operam. Is quod primo diluculo ad id cum prouectioribus pensum accitus euigilasset, & serò etiam antè cubitum prouolutus in genua piissimè oraret, ægrè tamen continebat se tenellus pusio, sed somno identidem oppressus deprimebat decorum caput. Sed instabat tamen à tergo pater, & flagello fugabat somnum iterum & tertio. Pupputus autem, nullo vnquam singultu edito erigebat se confestim, tenerasque attollens manus, precationes voce tremulâ sollicitus recitabat, donec ingruēte iterùm somno durus etiam instaret monitor, virgaque; continenter percuteret.

cuteret. Tùm ego miseratus innocentissimi pueri constantissimam patientiam, qui toties flagellatus, nihil vnquam mutiuerat, finitâ oratione, patri author fui, vt mitiùs deinceps ageret cum infantulo, atque vt orarent domestici, tum alacriùs, tum attentiùs, vespertinæ orationi ante cœnam daretur opera; quo tempore pueros, & adultiores etiam vix vnquam sopor obruit.



Quomodo Christiani ad Ecclesiam sensim iterum conuenerint.

CAPVT XVI.



TOto eo interuallo, quo Christianis aditu in Ecclesiam nostram interdictum fuit. Dominicis tamen omnibus ac festis diebus, conueniebant illi semper in priuatas domos atque in sex vrbis regiones turmatim discreti, solemnem habebant precationem, ad quam constitutâ omnes horâ frequentissimi aderant, nos vt in eo præclaro pietatis stadio decurrentes, magis etiam quotidie animaremus, singulis illis diebus nouam ad eos epistolam, sedulò conscriptam dabamus, piissimis præceptis plenissimam, ex Euangelicis præsertim oraculis, vel ex sanctorum tunc occurrentium rebus præclarè gestis. Mittebatur subinde ad singulas congregationes exemplar vnum, atque ibi publicè prælectum, incredibiles in omnium animis excitabat pietatis flammas, & ad religiosa officia mirificè afficiebat.

Post quatuor autem menses quibus institutum id tenuimus, nouo quodam casu, iterùm neophytis aditus patere cœpit in Ecclesiam. Cum enim in magno illo flumine; quod magnam hanc vrbem alluit, festi quidem ludi agerentur spectante Rege, casu accidit, vt cùm Christianus quidam Regis famulus, plures simul exploderet bombardas, ignis scintilla importunè in subiectum tormentarium puluerem excussa, Funestam cum immenso fragore flammam excitans, vicina omnia incenderit, & miserum etiam illum qui bombardis præerat consumpserit. Perculsus est inopinato eo casu Rex, iussitque vt famulo illi, quem impensissimè amauerat, nōueratque Christianis fuisse initiatum, funus Christiano more, magnificè suis curaretur sumptibus. Conuenere ad illud ex templo fideles omnes, atque eâdem operâ, venire iterùm ad nos ausi, iusta persoluerunt defuncto, prosequuti eius corpus ad condictum in campo sepulturæ locum. Vbi & ego ad frequentem coronam publicè in ea verba dicere aggressus sum, iam hyems transiit imber abiit, & recessit id conatus ostendere, propterea permissas à Deo esse persequutiones omni tempore in Ecclesiâ, vt eorum qui verè fideles essent probata virtus palàm innotesceret. Alios qui ad tempus duntaxat credunt, & in tempore tentationis recedunt esse veluti paleas, quas leuissimus venti flatus iactat, atque à purissimo grano separat. Persequutionem quâ Tunchinensis adhuc Ecclesia vexata esset salutarem ipsi fore, non enim passurum optimum dominum vt tentaremur supra id quod possemus, sed facturum cum tentatione prouentum. Cœpisse illum iam misereri, & imperare

ventis


ventis ac mari, vnde iam tranquillitas postliminio redire videretur: ad hac voces exultare Christiani omnibus gaudiis, & in lacrymas, lætitiæ indices, liquescere. Sed ne tamen vlla nouis criminationibus via pateret, monere illos cœpi etiam atque etiam, vt modum feruenti zelo ponerent, neque ad ædes nostras tam crebrò ventitarent.

Vnum porro erat quo Christianorum pietas in primis alebatur; Cum enim omnes domus quæ nostris ædibus & Ecclesiæ adiacebant, Christianos haberent Dominos, perfacile nobis fuit, Christianorum vndique accurrentium cœtus in iis secretò cogere, vbi ministeria nostra sine strepitu ac pompâ sed fructu sanè vberiori obiri possent. Cum autem ex prouinciis longè dissitis exciti plurimi, ad capessendam fidem conuolarent, insignis sanè præter cæteras fuit vocatio vetulæ cuiusdam octogenariæ, quæ cum existens in patriâ, centum circiter ab vrbe regiâ milliaribus, plura inaudisset de Christianis moribus, vitæque sanctitate, maiorem in modum illis delectata, statuit vitæ suæ rationes ex illis dirigere, ac baptismum postulare. Deique protinùs impulsum sequuta dedit se in viam, vt quæ non nisi confusè, imperfecteque acceperat, ea per nos certius addisceret. Quæsiuit igitur cupidissimè illos per quos salutem sperare poterat, iisque adinuentis totam se tradere cœpit audiendis atque addiscendis diuinis mysteriis tantâ contentione animi, vt breui sufficienter illis imbuta, baptismo suscipiendo idonea visa fuerit, cumque audiuisset neminem ad eum admitti solere, quin symbolum apostolorum, orationem dominicam, & decalogi

præcepta expeditè recitare posset, non despondit tamen animum, neque propter ætatem deuexam eximi ab eâ lege voluit, sed incredibili conatu adhibito, ea omnia quatridui spatio rectè didicit, summâque tùm suâ, tùm omnium Christianorum exultatione ad sacrum accessit fontem, Annaque nominata patriam diuino læta dono repetiit.

Aliam item Annam eodem tempore vidimus, eximiâ pietate fœminam, gubernatoris prouinciæ *Chedum* coniugem nobilissimam, quæ ante aliquot iam annos Christianis initiata sacris, maritum sæpè conata erat ad eiusdem veritatis diuinæ fontem adducere, sed irrito semper labore; quod eum carnis adhuc vincula irretitum tenerent, & improbis mancipatum amoribus procul arcerent ab amplexu Christi, sed reliquam tamen omnem familiam feliciùs ab impiis erroribus abduxerat, imò & in totam vndique prouinciam ditioni suæ subiectam præstantissima eius pietas sese protulit, plurimos ex eâ quotidie, diuinâ perfundebat luce, neque veniebat vnquam in vrbem regiam, quò eam sæpissimè grauissima vocabant negotia, quin plures secum deduceret manipulos omnis ætatis hominum, quos diuinis imbuendos mysteriis, & baptismo lustrandos, fructum nobis laborum suorum offerebat, adeo vt frequentissimas in eâ statim prouinciâ, necesse fuerit extrui Ecclesias, vt capiendæ tantæ multitudini sufficeret, ad quam etiam quotidianis augendam incrementis maximus accessit cumulus eximiæ diligentiæ & laborum Ignatij, cuius crebra posteà erit mentio.

Nouo



Nouo Regis ēdicto in exilium tandem amandamur.

CAPVT XXVII.



Ompertiſſimum Regi erat criminationes illas omnes, quibus famam noſtram aduerſarij miſerè proſciderant, nequiſſimè confictas eſſe ab hominibus impiis, abeſſe nos lonlongiſsimè, ab omnibus illis ſceleribus quæ iactata erant: ſed certiſſimis tamen authoribus poſteà comperimus, ipſum quo tempore nos in regno ſuo morari paſſus eſt, vnum id ſpectaſſe, vt Luſitanæ naues ad ſuos portus frequentius alliceret, ratus manentibus nobis facile illas ad frequentiorem nauigationem inuitari poſſe. Cum autem miſerando poſtea caſu contigiſſet, vt nauis illa quâ Tunchinum deuecti eramus, ad inſulam Ainam iactata fluctibus & ad ſcopulos alliſa fœdiſsimè periret, omnibus quidem hominibus periculo ereptis, ſed mercibus tamen omnibus in mare merſis, neque redirent naufragi Amacaüm niſi anno iam exacto, vnde ſanè importuniſsimè factum eſt, vt nulla toto eo tempore nauis ex Amacaënſi portu aduenerit Tunchinum, id quod peſsimè Rex interpretatus decreuit omninò, vt è regni ſui finibus pedē referremus, oblatâque commodiſsimâ nauigiorum Cinenſium occaſione quæ reditura erant in patriam, miſit ex ſuis aliquem qui exquireret, nunquid opportunum nobis videretur eâ vti oblatâ facultate optimarum nauium,

quibus

quibus facile nobis futurum esset in patriam reuerti, respondimus, paratos nos quidem esse, ad omnia Regis imperia, sed nihil tamen nobis commercij vel Societatis esse cum Cinis, imò & timendum esse, ne quid in eâ nauigatione incommodi eueniret, quod suspecta videretur eorum fides, beneuolentia vero in nos admodum incerta. Retentos nos esse magnâ Regis voluntate, tunc cum Lusitanam nauim conscendere parabamus, postulare nos modò supplices, vt fas esset aduentum alterius nauis præstolari, non potuit Rex licèt maximè cuperet, æquissimæ voluntati nostræ obluctari, concessit quod petebatur, differremus discessum ad illud tempus quo nauis breui ventura putabatur.

Cum autem nullam etiam eo tempore anno scilicet huius sæculi vigesimo nono, vidit aduenisse nauim, statuit dimittere nos citiùs in Cocincinam, vbi plures huiusmodi essent naues. Mittit itaque vnum ex aulicis qui præcipiat vt ad profectionem Cocincinensem expediti simus, non posse regem ampliùs pati, vt nauim illam expectaremus maturandum esse discessum, sic omninò ipsum statuisse. Præsertim quod audiuisset complures ex his quos baptismo nostro tinxissemus, breui post tempore obiisse, molestissimum id esse principi, illius enim omnes accusationes, iam pridem exoleuisse & vanitatis conuictas esse, vigere adhuc istam in multorum animis, quam nec longa dies deletura esse videretur: nos vero reposuimus, facillimum etiam nobis esse hoc mendacij nequissimi telum retundere: nihil enim mirum esse, si ex baptizatis aliqui sæpè morerentur, cum nos plerique non prius vocarent,

rent, quum ſpem omnem abieciſſent recuperandæ valetudinis, tunc enim plures animæ conſulere, cum depoſita prorſus eſſet ſalus corporis.

Hæc audiens, prudens ille Regis nuncius, ſortem noſtram iniquiſſimè ferre videbatur, multâque cum miſeratione ecquid? tandem eſt cur ad deuota morti corpora ſic acceditis, vt in veſtra poſteà capita, omnis ex eorum obitu inuidia referatur; nunquid vtiliùs rebus veſtris conſuleretis, huiuſmodi cadauera fugere, atque iis omiſſis, omnem operam impendere ad curandos alios, ex quibus nulla huiuſmodi nota timeri poſſet. Nos humanitati tantæ actis benigniſſimè gratiis, reſpondemus, ita quidem facturos omninò nos eſſe vti conſulebat, ſi ſolius corporis ducendam rationem, animam autem negligendam eſſe putaremus. Nunc verò cum commiſſæ præſertim nobis commendatæque ſint animæ, improbè ſanè impiéque facturos, ſi quo tempore ſalus earum æterna periclitatur, eam, vano quodam infamiæ metu perterriti, nihili faceremus. Laudauit ille pietatem, ſed imperia tamen Regis, vrgere diſceſſum, nihil amplius poſſe illum differri, accingeremus nos ad iter, maturandam eſſe regij edicti executionem.

Peruaſit illicò exilij huius noſtri, regiique mandati fama ciuitatem vniuerſam, atque vbi ad Chriſtianos etiam peruenit, accurrère confertim ad noſtras ædes, implentes omnia gemitu & clamoribus. Quin & plures Ethnici quibus myſteria noſtra placere cœperant cupidè petebant baptiſmum, adeo vt paucis illis diebus quibus profectio noſtra dilata eſt, nullum omninò nobis tempus vacuum eſſe potuerit à labore.

Constituto autem ad discessum tempore, venit Regis sui nomine, vnus è primariis Eunuchis, qui 20. nobis aureos, pretiosumque ad vestes conficiendas pannum afferens imperauit, vt in paratam triremem sine morâ conscenderemus. De hinc plurimo vndique milite circunfusos, custodiendos tradidit proposito triremis. Nos autem in eâ calamitate, id vnum omni obsecratione postulabamus, vt ad Regem salutandum, agendasque ipsi pro acceptis per biennium beneficiis gratias, breuis aliqua temporis mora concederetur, sed frustrà preces, circunstabat enim densa petulantissimorum militum cohors, omnique ad regem aditu prohibebat; imo & Christianos vndique aduolantes, atque ad nos accedere propius conantes, pertinaciter arcebant, stabant itaque ad exitus viarum, & quâcunque transituri eramus vicos, & compita eiulatibus, & lacrymis miserabiliter implebant; donec tandem erepti ab eorum oculis, delati sumus in triremem. Sed neque tunc posuere illi dolori, & amori modum. Immisere se plerique in ipsum flumen, atque ad ipsam nauim intrepidè adnatantes, instaurabant gemitus, & postremas abeuntem excipere voces cupidi lacrymabiliter mœrebant. Ego hîc intimis dolens sensibus, inter lacrymas amore plenas, breuissimam ad eos pro tempore orationem habui, de constantiâ in susceptâ fide, ac pietate, de certâ in Deum fiduciâ, qui dilaturus non esset opem, sed in se sperantibus opportuna præsidia breui missurus esset.

Cum autem poscerent omnes pœnitentiæ sacramento sua elui peccata, neque possent in illis angustiis singuli peccata confiteri, erant quippe mille quingenti,

quingenti, ego interpretatus eam extremam eſſe neceſſitatem vſurpandum mihi remedium illud exiſtimaui, quod in naufragij periculis prudenter adhibetur. Omnibus igitur edixi, vt conceptum animo dolorem de peccatis, ſigno aliquo exterius dato, præſertim pectoris tunſione teſtarentur, ſubieciique clariſſimâ vt potui voce in hæc verba ſolemnem formulam ego vos abſoluo &c. poſtremumque tandem inter mutuos fletus, & incredibilis beneuolentiæ ſigna, gementes vale diximus.

Vnus ex confertiſſimâ illâ piiſſimorum hominum turbâ erat Ioachimus cuius olim memini, litterarum Cinenſium ſcientiâ nobilis, auditoris magiſtratu plures annos perfunctus in Regis Curiâ, eximius ſanè vir, meritis venerabilior quam annis, erat autem ſeptuagenarius, ſed exilij tamen noſtri orbitatem tanto eiulatu proſequutus eſt, vt factus videretur è depontano ſene puerulus, ad parentum funera ingemiſcens. Venit ille ad ripam fluminis, pretioſiſſimis indutus veſtibus, ibique ter in terram proſtratus, diſcedentes ſupplex venerabatur veluti parentes ac magiſtros ſuos (ſic enim vſurpare ſolent Tunchinenſes) cum autem erepti ſumus à conſpectu, receſſit ipſe tanto mœrore oppreſſus, vt per dies aliquot nihil omnino cibi valens ſumere, ſolo ſenio, & intimo animi dolore confectus ſanctiſſimè obierit.



Exilij nostri varij Casus, & circunstantiæ.

Capvt XXVIII.



Nno itaque sexcentesimo 29. supra millesimum, exeunte martio discedere iussi sumus ex vrbe regiâ, & naui non incommodâ quidem sed exiguâ remorum 30. per varia flumina vehi cœpimus. Dux ipse qui triremi cum imperio præerat, tametsi principio seuerior extiterat, vbi tamen suis ipse vidit oculis eximiam illam Christianorum in nos venerationem, quorum plerique longè illo erant nobiliores, factus ipse mitior, eodem etiam nos honore ac reuerentiâ prosequutus est. Primarium quoque in triremi locum vbi sedere ipse consueuerat, vltrò nobis detulit, & secum etiam esse voluit, è Christianis autem qui nos in exilio sequi expetierant duos tantum voti compotes esse passus est. Primus erat Ignatius ante catechista, alter Antonius ille nuper memoratus, qui post diuturnam militiam, tradiderat se nobis famulum, ante annos fere duos. Catechistis autem aliis duobus Andreæ ac Francisco Christianos omnes commisimus, quotquot in vrbe regiâ, imò & toto regno, fideles erant Christo quem in baptismo induerant.

Interim autem dum nauigamus singulis diebus sub vesperam de Christianæ fidei mysteriis, ad ducem, & milites custodiæ nostræ præpositos verba facere nunquam prætermittimus, quibus illi fiebant in dies, nostri amantiores,

amantiores, & audiendarum rerum diuinarum cupidiores. Promouebat autem hoc ſtudium vehementer Ignatius, qui ſacris cantionibus ad Idolorum Tunchinenſium contemptum ingenerandum accommodatis, noctes ferè totas inſomnis exigebat, & ſenſim in omnium animos myſteriorum noſtrorum amorem inſpirabat. Mirabilis autem in omnibus tunc Chriſtianis pietatis zelus enituit, illi enim vbi de noſtro exilio audierunt, in ſuos quiſque ſtatim pagos ſe contulere quâ fama erat nos tranſituros, vt ciues ſuos ad baptiſmum ſuſcipiendum eâ datâ occaſione feriò inducerent, ac præſertim nobiliſſimi cuiuſdam Neophyti, ſingularis fuit religio, qui cum iam anteà vxori ac filiis familiæque numeroſiſsimæ viam præiuiſſet ad fidem in regiâ vrbe ſuſcipiendam, non potuit tamen quieſcere donec pagi cui præerat incolas omnes ad eiuſdem beneficij ſocietatem traduxerit. Cum igitur intellexit triremem noſtram ad illius pagi cui nomen eſt *Chebo* oram præteruehi centum fere ab vrbe regiâ milliaribus, prodiit ipſe obuiam nobis, cum frequentiſſimâ militum cohorte, acceptâque à duce noſtro facultate, deduxit honorificentiſsimè in domum ſuam. Vbi plures iam Catechumenos rite ad baptiſmum parauerat: quâ nos pietate magnopere delectati, accingimur illicò ad turbam illam, myſteriorum noſtrorum ſcientiâ imbuendam, priuſquam ſacris luſtraretur aquis, quod vt cõmodiſsimè poſſet fieri deuotiſsimus ille Paulus (hoc enim optimo viro nomen erat) cum vxore Luciâ ducem ac milites pulcherrimis muneribus deuinctos, inuitat ad moram diuturniorem quam deſignauerant poſtquàm verò ſatis vniuerſæ huic multitudini erudiendæ, ac

expiandæ posuisse, temporis visi sumus, nouo etiam officio, insignique demissi animi argumento, prima beneficia cumulauit. Venit nobiscum in nauim, ac cum plurimo vndique luto tam inquinatæ essent vndique viæ, vt laboriosissimum esset per eas incedere, non suos modo milites adhibere voluit, sed suis etiam ipse humeris inuitos ac repugnantes vsque ad triremem detulit, nihil sibi vel iucundius vel honorificentius accidere posse palam prædicans quàm Deo etiam in seruis suis, aliquod licet humile ac laboriosum officium impendere.

Ex eo portu continuâ vnius diei nauigatione deuenimus ad pagum illum *Cheno* vbi ante annos duos primum Tũchini templum erexeramus, statim autem in illud ingressi, reperimus illud eximiè auctum ac ornatum, adiectumque illi amplum Xenodochium, vbi & Christianis egentibus, necessaria subsidia, & paganis etiã ægrotantibus baptismumque poscentibus opportuna remedia parabantur: huc sine morâ conuenere Christiani omnes, ad sacra mysteria obeunda: eorum honoratissimis templi vniuersa procuratio demandata est; quam illi cupidissimè amplexi, omnem in eo excolendo, atque amplificando operam sunt polliciti. In iis Anna quædam erat ætate vetula, sed animi vigore vegeta, & medendi etiam arte in paucis clara quæ totam se pio huic muneri ad omnem vitam reliquam consecrauit.

Verùm haud diu à discessu nostro, stare templum illud potuit, quippe Ioachimo illo seniore defuncto; qui fundum ædificando templo concesserat, liberi eius omnes à fide Christianâ, & paternâ pietate alienissimi,

niſſimi, adiecere ſtatim animum ad vindicandum iterum fundum illum, cumque valerent authoritate plurimùm inter ciues ſuos, templum etiam ipſum miſerè incenderunt, Chriſtianoſque omnes in eiuſdem calamitatis periculum incluſerant, niſi celeri fugâ flammas iam graſſantes euaſiſſent. Poſt aliquot autem dies cum iam incendium omne deſiiſſet, Anna illa mulier piiſſima mouebat, triſtiſſimas reliquias conſumpti ædificij, atque inter cineres ſtudiosè ſcrutabatur num aliqua forte res ex tantâ calamitate ſupereſſet: inuenitque inter vſtulata ligna & lapides tabefactos, integrum & intactum ſanctiſſimæ crucis titulum, quæ eo in loco erecta fuerat; cuius pars vna noſtris, altera Cinenſibus exarata characteribus has habebat voces ſignum ſanctum veri Dei cæli & terræ. Quas omnes litteras omninò integras non ſine admiratione vidimus, poſt reditum noſtrum ab exilio. Optimamque in partem omen illud interpretati, certò coniecimus, facturum poſthac omnipotentem Deum, qui mediis ex ignibus, titulum hunc, victoriæ ſuæ teſtem ſubduxerat, vt perſeueraret in toto regno, ac in ea ſpeciatim prouinciâ, illibata & conſtans Chriſtiana lex ſcripta & ſculpta in animis fidelium digito Dei viui. Conſtititque oraculo fides, quod nullibi lætiùs ac vberiùs quam intra prouinciæ huius fines, fides & pietas propagata fuerit, atque in eo etiam oppido in alteram ripam fluminis, longè magnificentior erecta eſt à Chriſtianis Eccleſia in quâ conueniunt vndique Neophyti ac noſtri etiam habitant commodiſſimè in domo Eccleſiæ adiunctâ, vnde opportunis temporibus totam facile regionem obeunt.

Ex

Ex Prouincia igitur *Thinhoa* continuatis itineribus deuenimus in adiacentem illi prouinciam Gheam, celeberrimo portu nobilem, quem linguâ patriâ *Cua Ciüa* nuncupant. hoc est portum Reginæ, quod præcipuo in honore apud eum habeatur meretrix illa perditissima Cinensis Regis filia, quam propter petulantem luxuriam â patre ipso deiectam in mare olim exequuti sumus. Cum igitur triremis nostra necesse omnino haberet portum illum prætetuehi, angebatur animo vehementer, Ethnicus adhuc, dux noster, & sibi ac triremi timens, quid potissimùm consilij caperet non habebat: solet enim sæpissimè dæmon ex eo loco, variis obiectis terroribus, infideles percellere, atque horribili spectrorum specie propositâ incredibiliter dementare, quæ omnia dux ille noster vt à se auerteret parabat vanâ sacrificiorum suorum superstitione malos genios placare, Quod ego vt aduerti, omni statim conatu aggressus sum tantam à nostrâ triremi pestem auertere. Monebam scilicet illum atque omni prece obsecrabam, spem omnem collocaret in Deum dominatorem marium, in cuius manu procellæ sunt, sub tanto patrocinio tutos nos haud dubie futuros, & ad optatum portum fœliciter preuenturos. Paruit ille quidem bene monenti, sed dubio tamen adhuc animo fluctuans, rogabat etiam atque etiam, vt à Deo igitur nostro, quando à reginâ illâ portus dominâ sperari nihil posset, prosperam nauigationem, consueto nobis precandi more deposceremus: ad orandum illicò nos retulimus breuique postea interuallo, voti compotes facti, appulimus ad portum *Cüa* quo triremem dux direxerat.

Non

Non procul ab eo portu habitabat Simon ille, cuius memorabam incenſam in Deum pietatem, & ad curandos morbos omnes ſolâ benedictæ aquæ aſperſione, vim quandam inſolitam ac planè mirabilem prædicabam. Is vbi audiuit de aduentu noſtro incredibiliter recreatus, aduolauit ad triremem amplexuſque amantiſſimè vitæ ſuæ duces ac parentes dulciſſimos, impetrauit à triremis noſtræ duce veniam, vt nos domi ſuæ aliquandiu haberet, frueretúrque pro votis, optatiſſimo conſpectu noſtro. Obtentâ ea facultate venimus domum in quâ primùm ingens erat turba hominum quos ipſe vndique congregatos ad baptiſmum ſuſcipiendum optimè animauerat. Deinde ad aquam luſtralem ſolemni benedictione conficiendam, vaſa quam plurima parauerat, nos eximiæ viri optimi religioni fecimus cumulatè ſatis. Selectam hanc turbam ſacro fonte luſtrauimus. Aquam benediximus, precationem peregimus, adſtantibus accommodata monita impertiuimus, tum multâ iam nocte venit nobiſcum Simon in triremem, vti pactus erat cum duce noſtro.

In altero quoque pago verſabatur Chriſtianus miles Andreas nomine, qui eo ipſo tempore quo in exilium pulſi ſumus, feſtinauit ex vrbe regiâ ſe recipere in patriam, ducentis diſſitam milliaribus, eo ſolùm conſilio, & tranſeuntibus nobis, per baptiſmum expiarentur mater, vxor, & ſocrus. Sed cum citiùs quam ille ſperauerat ſub noctē exceſſiſſet è portu nauis, doluit vehementer præreptā ſibi è manibus ſummā omniū votorum, ſed confirmatâ tamen mente ſtatuit cum vxore, matre, ſocru vetulis, & infirmiſſimis mulieribus

totũ illud iter quod nos mari emensuri eramus, pedes ipse conficere per deuia & prærupta montium, nauigia enim nulla tunc aderant, quibus insequerentur abeuntes. Et quoniam perpetuæ Tunchinensium cum Cocincinensibus, ad quos ducebamur simultates, metum homini piissimo iniecerant, ne prohiberetur Cocincinæ ingressu, & optato conspectu nostro, multâ omnes orizâ tanquam eam diuenderi pararent, onusti venere per multos dies, tandemque post octoginta confecta milliaria, labore quidem fracti, sed vegeti animo, assequuti nos sunt citiùs etiam & propiùs quàm sperauerant, baptismoque vt optauerant potiti, alacres in patriam sunt regressi, laborum obliti omnium, eorumque sensum absorbente cœlesti animi voluptate.

Postquam igitur extremos attigimus regni fines; cum triremis quâ vecti eramus hactenùs, tuta satis non esset, quæsitum nobis est aliud nauigium, superandis scopulis, & ventis frangendis accommodatum. Parabant verò milites, quorum custodiæ commissi fueramus, reditum in regiam, sed auditis toto eo tempore sermonibus de lege Dei, & æternà vitâ, meliora cœpere meditari, octodecim ex his cum iam in procinctu essent ad discessum, fidem quam conceperát animo, palam professi, postulare cœperunt baptismum. Credere se in Christum, constitutum sibi esse per sanguinis eius merita mercari vitam æternam. Nos insperato eo gaudio áttoniti, vltrò in amplexus omnium ruere, opportuna impertiri documenta, baptismum & cœlestes thesauros dispensare. Tantâ exultantes animi iucunditate, vt non esset facilè statuere vtrâ parte maior illa esset, ac vberior, nostri, an illorum, sed in omnium sa-

nè

nè vultu, ore, oculis, liquidissimè se prodebat. Discessere igitur postea in regiam cum litteris, quibus Christianos in eâ degentes ad omne virtutis officium hortabamur, & Neophytos etiam istos impensissimè illis commendabamus.



Reliqua itineris nostri ratio, & ducis ipsius ad Christi fidem conuersio.

CAPVT XXIX.



Aduenerant iam tum hebdomadæ sanctioris dies, in quibus tamen ab omni pietatis Christianæ munere cessare necesse fuit. Qui enim aderant, omnes à Christi fide alieni abhorrebant à sensu, & amore tantorum mysteriorum. Cum autem sub noctem paschalis festi, secundæ afflarent auræ, visum est duci explicare vela, & è portu soluere, nos id vnum ab eo statim enixissimè postulamus, vt omissis consuetis superstitionibus à solo vero Deo ferentes ventos, & mare tranquillum expectaret, paruit ille quidem tunc conuictus experientiâ priorum temporum. Verum postea ortâ tempestate, turbatoque maiorem in modum mari, adeo vt nauis ægrè scopulos vitaret. Commouit iracundiam præsens timor, & atrociùs Christianos qui aderant, ac in primis catechistam compellans, mortem & supplicia minatur, quod soluenti ei è portu authores fuissent, abstineret prophanis illis cæremoniis, quibus placatum iri Deos stultè iactabat. Ad has irati hominis

voces, & acerbissimas querelas nos statim experrecti, amantissimè ad ipsum accedimus, metum omnem abstergimus, beneuoléque querimur, quod dormientibus nobis nihil in tanto periculo cogitatum esset de propitiando Deo. Affuturam nobis haud dubiè quam primum diuinam opem, visuros omnes pacata maria; & furentium ventorum rabiem mitigatam. Tum inuitamus omnes ad orandum cum fiduciâ & feruore Deum, primique in genua prouoluti Diuum Laurentium, in patronum assumimus sedandæ tempestatis. Mira sanè res, & mihi quoties in memoriam redit semper stupendâ, vix semel orationem Dominicam precando expleueramus, ecce tibi, mare subitò quiescere, contrarij omnes venti silere. Spirare fauentes auræ, quibus secundissimo statim cursu, ad optatum portum triremis appulit.

Ad eam tam repentinam, & mirabilem maris, & ventorùm immutationem dux ille noster attonitus, primùm obstupuit, deinde vero lætitiam admiratione miscens, prædicare cœpit miraculum, & præsentissimam inuocati numinis benignitatem palàm exaggerans omnes ad eam agnoscendam impellere, placuit autem tunc misericordi Deo qui eum sibi habere famulum destinauerat, altiùs etiam in animum eius descendere & immisso lucis suæ meliore radio collustrare. Quippe sine morâ frequentem hominum coronam monuit statutum sibi omninò esse Christum ducem profiteri, atque illius militiæ per baptismum nomen dare, sex ex totà cohorte reliquos adhuc habebat milites cum quibus solemni admodum pompâ in amplissimam proximi pagi plateam progressus, spectantibus

ctantibus omnibus Christiano lustratus baptismo, singulari, tum suâ, tum nostrâ voluptate Augustini nomen suscepit.

Ab eo autem tempore totum se nobis permisit, è duce nostro atque patrono factus Christi discipulus, & filius charissimus, fuitque hominis tam illustris conuersio, rebus etiam nostris percommoda. Maximi enim tum Pattum nostrorum in Cocincinâ degentium tum Christianorum etiam Tunchinensium intererat, vt ne regni huius finibus pelleremur, perfacile veró fuit nobis Augustino nostro suadere vt quando gubernatori prouinciæ Bochinicæ, regio nos mandato tradere tenebatur, per quem amandaremur. Posteà in Cocincinam, cum commoda nauis suppeteret; exoraret ab ipso hanc gratiam, vt liceret nobis nauim arbitrio nostro quærere ac parare; neve tum cogeremur in Cocincinam incommodissimo tempore proficisci, quo nulla Lusitana nauis eo venerat.

Erat Bochinicæ huius prouinciæ gubernator prouectæ iam ætatis, & virtutum omnium famâ nobilis. Erga nos autem adeò beneuolus, vt in quotidianas expensas copiosissima daret munera. Quam nos gratiam maioribus etiam officiis rependere satagentes, dare cœpimus omnem operam, vt in extremâ illâ vitæ periodo (octogenarius enim erat,) æternæ salutis certissimam viam iniret. Eam vt nescienti ostenderemus Catechismum Christianum Cinensibus exaratum litteris, eleganti compactum artè tradidimus crebros de mysteriis nostris habuimus sermones, nihil non tentauimus, vt senem depontanum præsentissimo perennis pœnæ periculo eriperemus. Sed frustrà semper,


onam ad oblatam à Deo gratiam aures, & animum occludens, salutaria monita neglexit , & sexto ab hinc mense viuere desiit.

Eundem exitum habuit, hospitis cuius fidei à gubernatore traditi eramus, pertinacia cum enim propter senectutem vergeret iam ad exitum illi vita , omni quotidie, prece cupidissimè instabamus, vt viam salutis audacter capesseret, venturam breui noctem in quâ nemini fas est tam salutari negotio incumbere. At ille concubinæ quam domi habebat insano amore præpeditus, vxorem quidem, & filium susceptum ex pellice, lubens passus est Christianis sacris initiari, sed suæ, ipse animæ nihil prospiciens, oblatam à Deo gratiam obstinatè neglexit, & breui postea defunctus, magno nostro dolore, meritas libidinis turpissimæ pœnas, miser luit.



Ex Bochinicâ Prouinciâ in Gheanicam iterum regredimur.

CAPVT XXX.



SIc perfunctus officio dux noster; magnum nauatæ nobis operæ præmium referens, fidem & gratiam, lætus ad regiam magnis itineribus regressus est; cum litteris, quas nos tanti viri pietate dignissimas, dedimus ad Christianos ibi commorantes. Toto autem eo paucorum dierum interuallo, quo in eâ regione detenti sumus, vt ne vllum nobis tempus vacuum esse pateremur à labore,

labore, in ampliſſimo primùm foro, deinde in ipſo maris littore, ad frequentem turbam quotidie verba fecimus, Chriſtum vbique, ac vitam æternam annunciantes, neque fructu ſuo labor ille caruit, quinque ſupra viginti, ex ſacro fonte ſuſcepimus, eorumque vni litterarum Cinenſium ſcientiâ clariſſimo, & fidei doctrinæ ſtudioſiſſimo, erudiendos tradidimus, poſtea vero in prouinciam Gheam, quo nos Chriſtianorum omnium, ac plurimorum etiam Cathecumenorum preces vocabant, properè diſceſſimus.

Primi nos hoſpitio ſuo lætiſſimi excepere Andreas & Petrus, quorum labore, ac curâ perfectum erat, vt toto illo pago quem incolebant, vix vllus reperiri poſſet, qui myſteriorum noſtrorum rationes edoctus non eſſet: ac plures etiam precationes, omnes memoriâ tenebant. Vt neceſſe nobis nihil fuerit vllam in tradendo catechiſmo nauare operam, ſed triduo toto, quo illic fuimus, centum duodecim, ſacro intinximus lauacro. Tum ad Simonis illius, benedictæ aquæ amantiſſimi, ædes excepti plures etiam luſtrauimus, indeque ad primarium portum, & gubernatoris ipſius ſedem cui *Ruum* nomen eſt, vela fecimus.

Cum autem toto iam regno, Latè increbruiſſet; regio nos edicto proſcriptos, & in exilium pulſos eſſe, vix vllus in ampliſſimo illo pago inuentus eſt, qui nos ſuas in ædes excipere animum induceret. Ac tametſi gubernator, quem conueneramus omni nos humanitate ac beneuolentiâ proſequutus eſſet, peruaſerat tamen mentes omnium hæc opinio, nobis omninò debere tribui quod iis locis, nulli iam diu imbres fluerent, vnde ſummâ omnes vbique campi ſiccitate laborabant,

rabant, vnde tanta in nos odia exarserant, vt de nobis procul pellendis, consilia palam agitarentur. Sed opportunè tamen benignissimus Dominus, copiosam de cœlo pluuiam effundens, temperauit aliquantulum irarum flammas. Quippe omnes cœlesti eo rore maiorem in modum recreati, auidi accurrêre ad diuini verbi purissimos latices, atque plurimi ex his diuinitùs irrigati, fructum illicò fidei tulere fiebatque concursus quotidie maior, præsertim vbi vulgatum est, optimè in nos & res nostras prouinciæ gubernatorem animatum esse.

Deuinxerat autem in primis illius animum, eclypsis cuiusdam solaris, opportunè facta prænunciatio. Quatuor enim antè diebus quam illa fieret, totam eius descriptionem ad amussim in libello exaratam offerendam, putauimus vbi accuratissimè horam eius, & durationem, & quantitatem designatam dedimus. Quæ omnia postquam verè dicta esse probauit euentus, obstupuit ad industriam adhuc inauditam, nostrique factus amantior, aduersus obtrectatorum calumnias, nos & traditam à nobis doctrinam constantissimè tuebatur: hâc vnâ semper argumentatione omnes eorum eludens conatus. Si res (inquiebat) cœlestes, quas tametsi vsurpamus oculis, animo tamen non assequimur, homines isti, tam verè ac certò præuident & prænunciant, Ecquis? sapienter dubitet, & omnia rata & fixa esse, quæ de supra cœlestibus, & mentem, & oculos superantibus, affirmant etiam asseuerantiùs quam illa quæ nostris aspectibus subiiciunt.

Hâc tantâ, & tam propensâ in nos gubernatoris voluntate dici vix potest quantùm & rebus fidei, ponderis accesserit,

accesserit, & nobis famæ apud omnes, ac authoritatis. Conueniebant ad nos vndique populorum greges, atque in his plurimi ad Christi ouile adiungebantur. Sexcentos nostris ipsi manibus baptismo tinximus, multò plures â Catechistis lustrati sunt, quibus ea cura, in necessitate mandata erat. Quo in genere Ignatij præsertim enituit eximia industria, & sedulitas, quippe idolorum cultores omnes acerrimo bello petens, ex propriis eorum libris depromptis armis, occludebat cunctis ora, plurimosque Christo, & cœlo lucrabatur. Cōposuerat quoque Tunchinensi metro poëfim elegantissimam, in quâ ingenioso scommate præcipui sectarum errores sugillabantur, eamque subinde suauissimâ vocis modulatione, ad confertos christianorum, & paganorum globos decantans, mire afficiebat omnes, confirmabatque alios in susceptâ fide, alios ad contemptum, & odium idolorum sensim alliciebat.

Sed non defuêre tamen aliqui, patriorum rituum quam salutis amantiores, qui ad tanta, & tam atrocia Deorum suorum probra excandescentes, agitari cœperunt furore, atque cum in nos, & Ignatium vix sæuire possent, quod ille in alterâ prouinciâ natus, eorum iudiciis plecti non posset, in hospitem illum optimum tota furentium rabies incubuit, qui nos in suas ędes benignissimè admiserat. Ab iis ille spoliatus fortunis omnibus, domo etiam hac suâ, & pago toto expulsus est: Summo quidem acerbissimoque dolore nostro, sed incredibili tamen eius triumphantis animi gaudio.



In summas omnium rerum Angustias redacti misericordissimè à Deo liberamur.

CAPVT XXXI.



N ea igitur rerum perturbatione, licèt Neophyti, omnibus subeundis periculis constantissimè se obiicerent, nobis tamen consultius visum est, ab amantissimis hominibus omnia malorum imminentium incommoda in nos deriuare: & carere potius omni domicilio, & per fluminum alueos exiguâ cymbâ vltrò citróque commeare, quàm Christianos fortunis omnibus euertere. Cum enim compertissimum vulgò esset regio nos mandato è totius regni finibus amandatos esse, neque vllâ authoritate publicâ editum illud rescissum fuisse, simul nos aliqui Neophyti admittebant in domos suas, ij tanquam perduelles, & voluntatis regiæ contemptores, seuerissimis statim mulctabantur pœnis, præsertim iacturâ bonorum omnium. Imò & nobis tametsi Ethnici nihil palam inferre audebant molestiæ, sæpiùs tamen domos vbi morabamur; ac nos etiam impunè lapidabant. Quæ mala vt prohiberentur, nobis habitatio ipsa fluminum, tametsi ob frigora & procellas eo anni tempore ingruentes, erat perincommodâ optabilior tamen videbatur.

Huic tam acerbo, incommodo, accedebat etiam cumulus maximus, ex summâ inopiâ, & rerum omnium necessariarum penuriâ. Cum enim de commeatu,

meatu, ad annum duntaxat vnum, nobis, Amacaï admodùm parcè prouiſum eſſet. Annus autem ab hinc ageretur tertius, in extremas deuenimus anguſtias, nam à Chriſtianis quamuis eximiè beneuolis, & ad oculos etiam ipſos eruendos paratiſſimis, hactenus nihil prorſus petitum erat ſubſidij, atque ad nihil deinceps poſtulandum, mentem obfirmaueramus apoſtolicum illud ipſis ſæpe occinentes nolumus veſtra ſed vos. Id quod etiam mirabantur tantopere, vt eo ſæpius adducto argumento fidei noſtræ ſanctitatem Ethnicis ingererent, vera omninò eſſe quæ ab hominibus illis prædicarentur; qui nullus commodi ſui causâ, nullius lucri ſpe, adueniſſent è regionibus adeo diſſitis, per tam difficiles terrarum & marium tractus ſuis ſemper expenſis, atque iiſdem, etiam apud ipſos tenuiſſimè victitaſſent. Id quod audientes non rarò Ethnici, ad fidem amplectendam adducebantur.

Sed ne tamen omnia illa ſummæ beneuolentiæ, ac charitatis in nos videremur deſpicere argumenta, atque illorum fructu alios egentes priuare, eximia quædam multis in locis, ampliſſimaque noſocomia erecta erant, in quibus catechiſtæ ipſorum gentiles alerentur, & pauperibus ægrotantibus miniſtrarent. Cum enim aliqua ſæpè offerrent Neophyti, omnis generis donaria, hortabamur eos etiam, atque etiam, vt ea ipſa in vſum pauperum erogarent, nobis Amacai vnde veneramus, ſuffi.ientem commeatum allatum iri. Atque hoc ſanè inſtitutum noſtrum, alendi Catechiſtas ex huiuſmodi Eleemoſynis vniuerſæ huic Eccleſiæ, ac nobis etiam ipſis fuit percommodum, quippe hacte-

nus centum huiusmodi operarios eximios habuimus, qui se totos Deo,& Ecclesiæ huius commodis deuouentes,strenuosissimè cum nostris ad hanc diem laborant,& animarum negotium eximie promouent.

Eo igitur tempore, cum exhausto penitùs viatico, rerum omnium egestate premeremur, neque tandiu expectata Lusitana nauis aduentaret, nihil dubium nobis fuit, quin à Christianorum in vrbe regiâ degentium charitate,aliquod summæ inopiæ nostræ remedium quærendum esset, Antonium cum epistolis eò mittimus in quibus expositâ inopiâ illâ nostra, postulabamus aut eleemosynæ aut mutui nomine aliquid subsidij, properauit illicò Antonius, redditisque litteris hortabatur etiam ipse Christianos, quos nostri amantiores esse probè nouerat, vt petitam opem ferre maturarent,darent prolixè de suis diuitiis, ad alendos eos à quibus cœlesti gratiæ thesauro ditati essent, illi verò ad miseriæ huius nostræ commemorationem piè illacrymantes,collectâ confestim paucorum nummorum stipe, redire ad nos Antonium iubent, pollicenturque se venturos posteà,cum copioso ad longum tempus commeatu.Enituit autem præsertim tùm temporis eximia monicæ cuiusdam pauperulæ pietas, quæ de suâ etiam penuriâ decem aureos, ad nos dono misit.

Verùm quo interuallo profectus in regiam est Antonius,tantæ tempestates,pluuiæque obortæ sunt,vt Cymbam illam nostram satis alioqui fragilem, & annosam vndique quaterent,& nos in eâ conclusos, molestissimis afficerent incommodis,atque ad extrema etiam pericula deducerent. Sed nemo tamen in omnibus

bus illis pagis reperiebatur qui nos in suam domum auderet euocare, quod male sibi metuerēt ab Ethnicis, qui nostrâ necdum calamitate satiati, augebant mœrorem quâ minis, quâ contumeliis, imo & creberrimâ lapidum grandine impetebant. Cum autem exundarent è suis alueis vndique flumina & totam, qua latissimè patet, opplerent regionem, ibat Cymba sine arte, sine duce, per incertos tramites, & in ipsis campis tantum non naufraga fluctuabat. Versabatur tunc in tuguriolo ad radices montium, Simeon quidam, eximiæ virtutis thesauris ditissimus, sed rerum aliarum omnium egentissimus. Ille vt audiuit quam afflictæ tunc essent res nostræ, misit ad nos illicò fratrem qui domunculam hanc suam offerat, tenuissimam illam quidem esse, ac vilissimam, sed commodiorem sanè fore quam medios illos fluctus in quibus iactaremur potiùs quàm habitaremus. Nihil sibi ab Ethnicorum furore metuendum esse, quem sua paupertas ab omni eorum impetu defenderet. Nobis hospitalitas illa viri humanissimi fuit prout sanè debuit iucundissima; recepimus nos ex imbrium & fluctuum incommodissimo habitaculo in exiguum illud mapale, quod nobis, propter mala quæ præcesserant, eximij cuiusdam palatij speciem habere videbatur. Integrum autem illud nobis Simeon relinquens, secessit cum totâ familiâ.



Aduenientе tandem Lusitaná naui, ab exilio liberamur.

CAPVT XXXI.

IN eo igitur pauperrimo quidem, sed iucundissimo certè diuersorio, postquam nos continuimus diebus quindecim, commodùm aduenit Antonius ille noster; collatam à Christianis stipem deferens, & quod iucundius sanè fuit, Epistolam Patris Gasparis de Amaral renunciantis appulsum Lusitanæ nauis, in portum huic prouinciæ vicissimum, adhoc tam optatum, sed tam parum speratum nuncium, omnium statim obliti malorum, suauissimo perfusi gaudio exultare cœpimus. Sed nihil in eo negotio visum est iucundius, quam diuinæ in nos curæ, ac prouidentiæ clarissima significatio. Cum enim ad hunc portum nusquam hactenus Lusitanæ naues appellere solerent, tunc tamen ista eo aduenisset cum nulla nobis aliundè spes salutis affulgere poterat.

Exiuimus ergo quantociùs ex angustâ illâ Simeonis domo, & ad portum vbi cum patribus nostris erat nauis, aduolauimus: ad eorum autem aspectum quis in nobis lætitiæ sensus fuerit, quæue significatio mutuæ beneuolentiæ, facilis coniectura est, ruimus videlicet illicò in amplexus, & manantibus, hinc inde lacrimis vix adhuc cedebatur à nobis, quod oculis, ac manibus tenebamus, plurimæ de hinc redditæ nostrorum litteræ, de quibus toto triennio nihil prorsus audiera

audieramus. Mox plurima vltrò citróque sciscitati, noctem insomnes traduximus, simul autem illuxit, prima nobis de peragendo sanctissimo missæ sacrificio cura fuit, octo enim mensibus carendum eo fuerat, ob defectum materiæ consecrabilis. Curamus igitur commodum statim parari locum in ipsa naui, atque in eo post longam tot mensium esuriem, datum tandem est diuinâ illâ escâ satiari, quæ ipsâ etiam saturitate famem acuit.

Aduenit paucos post dies missus à Rege cum amplissimo commeatu Eunuchus, iubens vt Lusitana nauis in regiam contenderet, negabat autem vehementiùs fas nobis esse illo regredi, prohibente regio edicto, sed obfirmabant in contrarium Lusitani animum constantissimè asserentes nunquam se hinc discessuros, donec patres omnes secum deducerent, reluctabatur aliquandiu Eunuchus, sed fixam & ratam Lusitanorum voluntatem perspiciens, cedere tandem coactus est, & quamuis à rege nihil dum acceperat, reditum tamen nobis in regiam permisit. Venerat id temporis ad nos Andreas ille sæpè memoratus, eximiâ virtute iuuenis, & tradendi diuini verbi minister clarissimus, quem nos in articulo nostri è regiâ discessus grauiter ægrotátem, Christianorum charitati commendatum, inuiti reliqueramus, vix autem conualuerat, cum tanto nostri desiderio teneri cœpit, vt continuò ad nos migraret; nihili faciens incommodam anni tempestatem, & exilij nostri summam inopiam meliorem ducens omnibus vrbis regiæ deliciis.

In eam itaque nobiscum regressus, quâcunque transiret, accendebat vbique diuini amoris flammas, vnde

odium

odium etiam incurrit quorundã impiorum, qui eum ex insidiis crudelissimè aggressi, fustibus cæsum semianimem in viâ reliquerunt. Andreas autem paulò pòst, vires colligens, animique robur in corpore vulneribus fracto integrum seruans, orabat pro suis illis carnificibus Deum, & incredibiliter exultans, quod dignus habitus esset pro Christi nomine pati contumeliam, ægrè tandem ad nos rediit.

Iterùm autem dum nauigamus, Ignatium illum Catechistam nominatissimum, ad Christianos in regiam præmittimus, vt de reditu nostro certiores faciens Neophytos, moneat illos etiam atque etiam, vt ne vllâ beneuolentiæ in nos testificatione, infestissimos nobis Ethnicos offenderent, neve turmatim obuiam venientibus prodirent, sed conceptam animo lætitiam omnem continerent in sinu, fuerunt videlicet hæc monita isto maximè tempore pernecessaria; vbi enim de reditu nostro apud illos percrebruit, incessere statim omnibus lætitiis, sibique inuicem gratulantes, expectabant cupidissimè diem illum cum nos postliminio redeuntes, iterùm videre possent, & salutis monita excipere.



In



In Regiâ Tunchinenſi noſtris iterum miniſteriis operam damus.

CAPVT XXXIII.

REdiimus ergo tandèm cum Luſitanis omnibus noſtris in vrbem regiam, octauo poſt exilium noſtrum menſe. Accurrère illicò atque in amplexus ſuauiſſimos ruère Chriſtiani, ſed occultè tamen, quod nondùm conſtaret, quo rex in nos futurus eſſet animo. Poſtquam autem ſatis placatus viſus eſt, ad ſolita nos extemplo retulimus miniſteria; ſed moderate tamen quod ſuſpicaremus premere illum animo iracundiam, nunquam enim deinceps ad colloquium admiſſi ab eo ſumus. Sed per internunciorum dumtaxat fidem ſæpè incertiſſimam, dabatur cum ipſo congredi. Adiecimus igitur ſedulò animum ad iuuandos omni ope Neophytos, & præſertim ad, confeſſionis Sacramento, expiandos omnes. Id vt ſine vllâ offenſione infidelium ritè fieret (vix enim ferunt ſecretas illas cum mulieribus colloquutiones quantumuis patenti ac publico loco fiant, & interpoſitâ vt fieri ſolet crate) duas elegimus domos, noſtris quidem ædibus adiacentes, ſed diſtantiſſimo ambas aditu, in eas conuenire cœpere Chriſtiani vt poterant occultiſſimè, & per Sacramentum hoc expiati, diuinam gratiam auidi hauriebant.

Atque vt occultiores etiam conuentus fierent; duæ præterea diuerſiſſimis locis Eccleſiæ conſtitutæ ſunt,

in quibus tutò Neophyti omnia pietatis munia obibant, afficiebantur autem in primis ad Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ. Nam confitentium quidem tanti concursus erant vt in iis audiendis totas sæpè noctes sine somno ducerem. Audiebam enim eas omnes ego solus,& mirificè delectabar cum viderem illos adeo seueros esse iudices defectuum leuissimorum, vt grauissimas de illis pœnas à se repeterent; statimque conuolarent ad confitendum, si quam maculam contraxisse se dubitarent, verbi causa, si cui contigisset omninò inscienti,esurialibus diebus carnis aliquid degustare, tum nulla ei quies erat donec homologesi, hanc qualemcunque maculam eluisset. Ad sacram verò mensam tantâ pietate ac reuerentiâ veniebant, vt quoties ad eam admitterentur, compararent se primùm per multos dies, & postmodum cœlestes eas delicias cum incredibili voluptate degustarent, atque vt tanti sacramenti altiùs in eorum animis memoria hæreret; quo die immaculati agni sacrâ carne pasti erant, dabatur eis aliqua ex bullis illis piacularibus,quas vulgò dicimus Agnus,Dei, vt collo appensas illas gestarent ad memoriam tanti muneris. Sed quoniam tanta erat copia communicantium, vt pia hæc munuscula nulla iam suppeterent, adiecit animum piissima illa regis soror D. Catharina (de cuius virtutibus olim dixi) ad conficiendas nobis huiusmodi sacras opes, tantâ sanè artè, vt eas æquarent, aut etiam superarent, quas in Europâ elaboratas detuleramus. Vnum prætereà in optimis illis Neophytis erat iucundissimum, tantâ enim religione ac diligentia Dominicæ passionis mysteria recolebant,

recolebant, vix vt vnquam sine lacrymis vberrimis, in pendentis è cruce Christi effigiem oculos intenderent. Neque segnior erat eorum pietas erga Missæ sacrificium, cuius amore sic tenebantur, vt quibus integrum esset his mysteriis interesse, illi semper venirent. Dominicis verò, ac festis diebus, quantumuis distarent ab vrbe regiâ spatio leucarum quatuor, primo tamen semper mane, ante lucem se dabant in viam, properabantque adeó impigrè, vt tempore venirent, ad concionem & totam sacrificij cæremoniam. Qui verò habitabant remotiùs, quàm vt totum illud iter manè possent emetiri, illi pridie in regiam intendebant iter, atque in eâ pernoctantes è primo statim diluculo, ad meridiem sacris dabant operam, tùm alacres redibant ad sua quisque domicilia; interim autem dum expectabantur remotiores, spectaculum erat iucundissimum, reliquos omnes videre in Ecclesiâ sacris meditationibus, & piis precationibus operam dare per multas horas.


Hæc quippè omnia exercitia, tantâ semper sedulitate obeunt sparsi per totum Tunchinense regnum Christiani, vt quo tempore sacerdote carent, illa tamen festis diebus per duas minimùm horas ritè peragant, vel publicé in Ecclesiis, vel si eæ desint, priuatim domi, conuocatâ in intimum penetrale familiâ, vel etiam soli cum agunt in campis, aut in nauibus, eadem semper officia religiosè obeunt. Ad dignoscendos verò dominicos, aut festos dies, parata ferunt Calendaria, in quibus egregiâ sanè arte festi signantur dies, & ieiunia: mandant illa typis Catechistæ annis sin-

gulis in vrbe regiâ, & toto posteà regno in Christianos dispensant.



Christiani aliquot miserè à dæmone vexati, magis tamen in fide susceptâ confirmantur.

Capvt XXXIV.



Abitabat in primariâ regni ciuitate piissima quędam mulier Nomine Monicæ, quæ priusquam baptismo lustraretur, malis dæmonum artibus dedita, vel etiam vt ferunt Pythonissa fuerat. Arripiebat illam eo toto tempore sæpissimè nequam spiritus & miserùm in modum exagitabat, adeò vt maritum atrocibus probris, & contumeliis afficeret, & sæpiùs etiam pugnis & fustibus dirè impeteret. Id quod arreptitiæ istæ mulierculæ facere ferè solent, tanto viros suos despectui habentes, vt nunquam illi earum se meritos dicere audeant, sed famulos solùm, ac nutritios.

Monueramus ergò istam sæpissimè, atque alias omnes quæ huiusmodi præstigiis addictæ fuissent. Cauendum magnopere ipsis esse ab hoste infensissimo, facturum illum omnia vt quâ domo, per summam ignominiam depulsus esset, in eandem baptismo iàm mundatam, & ornatam reuerti posset, in primis autem darent operam vt quoties ex ædibus pedem efferrent, frontem priùs, signo crucis deuotissimè munirent, & aquæ benedictæ aspersione, infestum spiritum abigerent. Omiserat id aliquando facere Monica, vix

autem

autem exierat domus limen, inuadit eam repentè hoſpes teterrimus, fœdiſſiméque vexat, ſternit humi, clamoribus inconditis, & furore os illi, oculos, totum corpus turpiſſimè deformat.

Conuolant ad eam extemplo Chriſtiani, ac præſertim Ioannes mœſtiſſimus, eius coniux, furentémque referunt domum, hortantur, conſtringunt, & Chriſtianis etiam exorciſmis rabidam coërcere ſatagunt. Cum autem nihil remedia illa furorem compeſcerent, ad nos ocyùs accurrit Ioannes, opem expoſcit, exponit dolorem. Ego ad Energumenam ſine morâ propero, fœdiſſimum ibi ſtatim obiicitur ſpectaculum, arreptitia mulier, dæmon tumultuans, ſed confirmato tamen animo, atque in Deum ſpe repoſitâ, poſt precationem, vt potui feruentiſſimam, compreſſumque Solitis exorciſmis dæmonem, Monicam appello, & amicè quæro, num peccata ſua, per ſacram ex homologeſim expiare velit. Ad has illa voces, ſolamque tanti ſacramenti appellationem expergiſcitur, ſui compos eſſe incipit, abſcedente dæmone, atque ad ipſum etiam confeſſionis nomen diffugiente: reſpondet placidè Monica, nihil eſſe quod optaret magis, confitetur, ſurgit, conualeſcit, gratias vindici Deo agit, ac nos cum ipsâ ſtupentes gratulamur tantam ſalutari huic ſacramento vim eſſe inditam, vt non purgandis ſolùm animabus valeat, ſed corporibus etiam curandis.

Neque tamen hic quieuit ſæuiſſimi hoſtis rabies, ſed longiùs etiam progreſſa nouo miraculo locum dedit. Cum enim domeſticos omnes Ioannes haberet iam Chriſtianos, vnicus ſupererat adoleſcens adhuc Idolorum cultor, is dum ea fierent, quæ commemo-

raui, versabatur in alterâ domus eiusdem aulâ, atque alia cogitabat omnia; inuadit eum repente, spiritus è Monicæ pulsus corpore, proditque se statim intus latens furor, personare nouis clamoribus domum audio, agnosco Satanæ insidias, adducitur miser iuuenis, toto corpore spirans dirum hospitem, opitulamur consuetis remediis, sed irrito labore, donec Baptismi salutares aquæ, fugarunt vnico momento impurum dæmonem ostendente Deo, vno tempore vtriusque Sacramenti vim mirabilem, pœnitentiæ quæ Monicam, Baptismi, qui famulum eius præsentissimo remedio curauerat.

Neque dissimili miraculo alterius, Christiani quidem, sed tran fugæ calamitatem depulit misericors Deus. Lusitano ille quondam homini aliquandiù famulatus, cœco quodam impetu animi herum deseruerat, Ethnicosque homines sequutus, meliorem etiam Dominum impiè prodiderat, totum enim se addixerat idolis, & Christianas virtutes omnes exuerat. Sed misertus tandem illius Deus excruciandum tradidit turpissimo duci, ad cuius castra transfugerat. Vexabatur autem adeò crudeliter, vt ab Ethnicis etiam ipsis, iniquissimè sortem eius ferentibus, adductus sit è vicino pago, vt in tantâ calamitate remedium aliquod miser inueniret, nos ad consueta statim remedia confugimus, & præsertim ad confitenda peccata impensè hortamur; obsequitur ille, confitetur, oculos aperit, à dæmone liberatur. Ei autem adeo repentè diuinitus curato, suademus vt relictis idolorum cultoribus, ad antiquum Dominum Amacai agentem se referat.

Ad extremum superest vt stupendum diuinæ in amicos

cos suos eximiæ prouidentiæ iudicium hic commemorem. Erat inter Christianos matrona quædam religiosissima Elizabethæ nomen, & pietatem inuitata, illa priusquàm transiret ad Christum, prophanos idolorum cultus magnoperè promouerat, sed malam ei pro impensis officiis improbus dæmon vicẽ reddidit. Cœpit enim horrende illam vexare, ac cum impio illo cultu neque dum absisteret, augebatur etiam dæmonis in ipsam furor: donec tandem, adeò ferocem tyrannum vltrà non ferens, eo ipso tempore quo in regiâ Ecclesiam primùm ereximus, ad nos lugens confugit auditoque Catechismo mirificè immutata, per baptismum dæmoni eripi voluit, atque ab eius dirâ tyrannidè liberari. Sed aliter visum Deo est non enim propterea excessit ab eà dæmon, cui tamen adeo formidanda erat, vt eum ex alienis sæpe corporibus depelleret, per quem in suo cruciabatur. Ferebat autem æquissimo animo hanc calamitatem, & tota diuino incumbens operi, non maritum modò, & familiam vniuersam, sed plerosque alios, ad fidem vocauit, & plures etiam Ecclesias extruxit.




E toto



E toto tandem Tunchinensi Regno, cum Lusitanâ naui exire cogimur.

C A P V T XXXV.



Ic Tunchinensis Ecclesiæ status erat, in quâ fundandâ, & erigendâ triennium totum abierat. Excreuerat Christianorum numerus ad quinque millia; & lætiora in posterùm incrementa, initia spondebant adeò prospera. Verùm vbi Rex intellexit discessuram esse propediem Lusitanam nauim, misso legato seuerè denunciauit vt eâ nos quoque Amacaüm repetamus. Eo tristissimo nuncio perculsi, statim iudicauimus conclamatam penitùs rem esse, quod præclusi nobis essent omnes aditus ad Regem, agentibus id præsertim regiarum vxorum custodibus Eunuchis, quod vererentur ne si diutiùs illi retineremur, Christiana sacra rex ipse amplecteretur, vxorumque abiecto grege, ipsi aulâ pellerentur. Cum ergo ad discessum quinque aut sex duntaxat superessent dies, totum hoc tempus in expiandis pœnitentiâ peccatis ponendum duximus. Tantique ad remedium hoc salutare fiebant concursus, vt neque diu, neque noctu vacare vnquam licuerit, vnius etiam horulæ spatio ad quietem.

Cum autem lugerent inconsolabiliter Neophyti, ac discessu nostro ruituram putarent, tot laboribus erectam Tunchinensis Ecclesiæ molem præclarissimam, statuerunt tamen suæ singuli saluti prospicere,

ac

ac quando nostrorum copia deinceps nulla futura erat, per quos de diuinis rebus erudirentur, adiecerunt animum ad Catechistas affinibus, ac cognatis suis tradendos in matrimonium, vt hâc arte paratos semper haberent homines, à quibus diuini verbi pabulo nutrirentur. Quo consilio nihil poterat Tunchinensi Ecclesiæ accidere perniciosius, quippe auulsis columnis ruere statim ædificium totum necesse erat. Huic autem tam graui malo, vt viam omnem præcluderemus, vnum tunc occurrit remedium, vt Catechistæ illi omnes vt erant optimi, & piissimi, publicè in Ecclesiâ iurarent vxore se carituros, donec aduenirent iterum patres, qui Christianorum curam susciperent, idque postquam ipsis significauimus, & totam consilij nostri rationem exposuimus, lubentissimis, illi animis excepere, nihil sibi esse posse optatius, nihil gratius. Quàm Deo & Ecclesiæ suam omnem, & vitam, & operam deuouere.

Illo igitur die, quo postremùm Christianos in Ecclesiâ eramus alloquuturi, accessere ad altare, finito missæ sacrificio, primarij tres Catechistæ, Andreas Franciscus, Ignatius, piissiméque in genua procumbentes, & manu ad sacrum Euangeliorum volumen apposita, spectante, ac stupente vniuerso cœtu, solemni iuramento se obstrinxerunt, cuius triplex erat caput. Primum quod saltem donec haberent Tunchinenses Christiani sacerdotes per quos iuuarentur, ipsi ab omnibus prorsùs nuptiis abstinerent. Alterum, quod nullum ipsi deinceps habituri essent peculium, sed quidquid, â fidelibus vsquam oblatum esset, id semper totum in communes vsus conferrent. Tertium, obtemperaturos se

 deinceps,

deinceps, illi quem nos ad id munus elegissemus, in hæc verba primus omnium Franciscus clarissimâ voce formulam totam pronunciauit, deinde Andreas, agmen clausit Ignatius, tantâ omnes constantiâ, orisque, ac vultus totius hilaritate, vt in lacrymas vniuersa corona solueretur: quartum etiam illis adiunximus temporalium rerum curatorem, Antonium illum fidelissimum, & strenuissimum sanè hominem, qui toto triennio in summis rerum, ac temporum difficultatibus nobis semper amantissimè adhæserat.

Quæ iurandi cæremonia solemni ritu celebrata tantam in omnium animis ingenerauit erga Catechistas reuerentiam, & amorem, vt eos deinceps tanquam patres & magistros, summi æquè ac infimi coluerint, ad omnes eorum nutus obsequi parati, & ad suppeditandas res vitæ necessarias liberalissimi. Hanc autem authoritatem & beneuolentiam ipsi præclarissimis virtutum omnium exemplis mirificè confirmabant; imò & plures etiam alios ad idem vitæ institutum postea traxere, adeo vt nunc temporis centum huiusmodi numerentur operarij, qui totâ Tunchinensi ditione variè dispersi, rem Christianam hactenùs incredibiliter promouent.

Quibus omnibus sic ritè constitutis, supererat vt Tunchinensibus nostris optimis postrema daremus mandata, vltimumque illos salutaremus, atque id sanè, quibus vtrinque lacrymis, quove sensu animi perfecerimus non est difficile coniicere. Commendauimus illos in primis optimo parenti, ac tutori Christo, cuius in sinu, ac amore omni reliquâ vitâ suauissimè conquiescerent. Deinde Catechistarum etiam nostrorum

curæ,

curæ, ac vigilantiæ, demùm postulauimus vt nostri memores, & amantes viuerent, precesque pro nobis aliquas funderent ad Deum. Illi autem intercludente quidem vocem dolore, sed amore tamen ora reserante, agebant pro tot susceptis laboribus gratias, quantas maximas capere poterat animus, solitudinem suam lugebant, pollicebantur æternam acceptorum bonorum recordationem. Id quod tàm sincerè ac ex animo sunt polliciti, vt ab annis iam viginti, morem illum commendandi nos Deo, nullâ die intermiserint. Semper enim mane, ac vespere, domi priuatim, & Dominicis, ac festis diebus publicè in Ecclesiâ, constitutas fundunt pro nobis preces, in eo igitur articulo expetebant vniuersi atque à nobis cupidissimè postulabant vt liceret, vsque ad nauim exeuntes comitari, sed vni hoc Francisco visum est concedere, reliquos, impertitâ benedictione amantissimâ, valere, ac abire iussimus.

Nos autem postquam discessimus, ex itinere sæpissimè à multis euocabamur, quorum audiendis confessionibus danda erat opera, multi baptismo tingi exoptabant. Deduxit nos videlicet in hospitium, atque omni humanitatis officio prosequutus est Paulus ille *Chebo*, toties ob insignem pietatem à me nominatus, multisque oblatis quos ad Christianam fidem imbuerat, locum etiam in domo suâ designauit, in quo ædificaturus statim esset Ecclesiam, & venturis Patribus habitationem commodissimam. Expectabant nos præterea cupissimè, in oppido *Chebec* quod mari adiacet Thomas & Elizabetha. Parauerant videlicet 80. Catechumenos quos baptismo expiari voluere, ac

demùm post alios plerosque, vbi commodum erat, opportunis monitis confirmatos, deuenimus tandem ad portum Reginæ, in quo aderant Lusitani parati ad nauigandum. Sed plurimi nos hoc etiam in loco Christiani operiebantur, qui ad expiandas confessione conscientias huc accurrerant, imò & non pauci baptismum postulabant, quos ad fidem amplectendam Neophyti duo, Paulus, & Antonius, eximiâ vitæ sanctitate, ac salutaribus præceptis induxerant.

Cum igitur necesse iàm fuit nauim conscendere, vltimum erat vt Franciscum etiam, qui nos huc vsque per milliaria circiter ducenta innumeris officiis deuinxerat, à nobis auelleremus. Tùm vero quibus ille lacrymis, imo eiulatibus, orbitatem suam deflere cœperit non dicam. Nobis sanè tam sincerum animi dolorem intuentibus similes ex oculis fluebant amoris fletus. Erumpebat videlicet in voces mœrore plenas, & miserandum in modum vociferabatur, cui amātissimi patres miserum filium relinqueremus, obstestabatur, vt Amacaüm vsque illum venire pateremur. Grauius morte supplicium esse, auelli à nobis. Nos autem vicissim blandissimè illum consolati, ostendebamus quantopere necessarius tunc esset nouello gregi, quem discedentibus nobis, totum ipsius curæ Iesus Christus supremus pastor committeret, affuturam benignissimam eius opem, ac nos omni curâ prouisuros, vt breui nouos in eâ vineâ cerneret operarios. Sicque dimisso illo, vela fecimus.

Christia



Christianorum Tunchinensium datæ in discessu nostro litteræ ad Vrbanum VIII. Pontificem Maximum.

CAPVT XXXVI.

PRius verò quàm ad reliqua veniam, quæ discessum nostrum proximè subsequuta sunt, non erit abs re apponere huc Epistolam, quam omnes communi consensu Tunchinenses Christiani scriptam ad Vrbanum VIII. totius Ecclesiæ pastorem supremum, dedere, in ipso articulo nostri ex vrbe regiâ discessus. Sic autem habet. Nos Tunchinenses omnes Christi Domini sectatores, in gratiarum actionem capitibus defixis, verum cœlorum, ac terrarum Dominum veneramur, atque ad sanctitatem vestram Christi IESV Domini nostri vices gerentem hasce litteras audentes damus.

Sanctitas vestra ex honoris Dei zelo per sacerdotes omnes, Iubet omnia regna in viam dirigi veritatis. A primis sæculis ad hæc nostra tempora, regni nostri Tunchin ensis angulo remotissimo nullus veræ legis splendor affulserat; hâc tandem extremâ ætate, vidimus ex magno Occidente duos è Societate IESV patres, qui formidabiles pelagi fluctus, atque horribilis oceani procellas despicientes per difficiles ac, dubios viarum anfractus, regnum nostrum permearunt, veram legem promulgarunt, veri cœlorum ac terrarum Domini venerationem, & cultum piis cohortationibus, & concio-

nibus palàm omnibus ſuaſerunt, perſuaſerunt autem non paucis, adeò vt ſanctæ legi obtemperarint adhuc quinquies mille, breuique multo plures obtemperaturos ſperamus. Et quanquam ſupremus regni moderator, eiuſque principes viri, nonnulli veritatis adhuc ignari, Patribus aduerſantur; atque in hunc modum pertinaciter obiiciunt, hactenus nullum noſtris factum fuerat de hac lege verbum: à quibuſnam verò, aut à quo tempore ſancita eſt. nos tamen Chriſti aſſeclæ ſine vlla dubitatione in veritate perſiſtimus, atque in ſuſceptâ fide conſtanter perſeuerare decreuimus. Igitur ad voluntatis noſtræ robur & firmitatem, hiſce litteris à ſanctitate veſtrâ, tanquam à Chriſti fidelium parente, opportunum noſtro regno ſubſidium audemus implorare, obteſtamurque vt vigiles pietatis veſtræ oculos, ac paternæ prouidentiæ obtutum, & aciem in nos intendatis, qui licet inculti ad ſacros ſanctitatis veſtræ pedes prouoluti ac ſupplices, multam Euangelicorum Doctorum copiam fidentiſſimi, atque auidiſſimi præſtolamur, quorum cœleſti doctrinâ noſtri omnes, excelſi & humiles ab erroribus reuocati, veræ legi ſeſe ſubiiciant. Æternos caueant cruciatus, atque æternâ beatitudine perfruantur.

Nos Chriſti milites Tunchinenſes, capitibus ſolo hærentes hanc epiſtolam veſtræ ſanctitati exhibemus anno ſalutis 1630.

Huc vſque Tunchinenſes Neophyti. Hanc autem epiſtolã ſimul cum noſtrâ miſimus ad R. P. Generalem noſtrum Mutium Viteleſchi qui de illâ ſic ad nos reſcripſit anno 1633. Tunchinenſium Chriſtianorum Epiſtolam ad ſummum Pontificem datam ego ipſe illi

illi obtuli, qui eam magnâ lætitiæ spiritualis significatione accepit. Responsum curabimus illas vt in oras mittamus, in quo patefaciet summus Pontifex probis illis fidelibus, effectus eximiæ charitatis, & beneuolentiæ, quâ illos complectitur, atque Catholicæ Ecclesiæ ouili annumerat; summo cum gaudio, & exultatione. Hæc R. P. Generalis responsum tamen summi Pontificis, ad Tunchinenses Neophytos non peruenit.



Redeunt in regnum Tunchinense iterum Euangelici operarij.

CAPVT XXXVII.



Nno igitur huius sæculi 30. ex Tunchinensi expeditione redeuntes Amacaüm, inuenimus opportunissimè P. Andream Palmerium agentem in eo seminario post missionum omnium Cinensium inspectum statum, noua semper in Dei gloriam molientem. Audiuit ille singulari cum voluptate florentissimæ huius Ecclesiæ statum, ac miseratus nouelli huiusce gregis solitudinem quem nullus tunc pastor regebat, designauit protinùs animo, missionem hanc iteratò instaurare, priusquam ardens illa Neophytorum pietas deferbuisset. Ad hoc autem munus, cum nos non possemus deligi quos edictum regium proscripserat, magis idoneum vidit esse neminem, quam P. Gasparem de Amaral, virum eximiâ pietate, ac diuini honoris zelo singulari, fuerat quippe iamdiu missionis Iaponicæ cupidissimus, atque ad eam votis omnibus

omnibus aspirabat. Linguam enim gentis sedulò didicerat & sepius etiam eò penetrare conatus erat, sed operarium adeo strenuum, & solertem, Tunchinensi procurationi reseruabat Deus, ad quam etiam ipse suas omnes cogitationes, & consilia seriò conuertit. Nam præter quam quod intellexit eò se vocari à Deo, Christianorum quoque Tunchinensium candor, & pietas, in vltimâ illâ paucorum mensium nauigatione, incredibiliter eum deuinxerant. Comites illi adiuncti sunt duo, præstantissimi ambo viri, & maximarum rerum capaces P. Antonius de Fontes, qui sex annis Cocincinensem vineam excoluerat, & P. Ant. Cardin, qui Laorum expeditionem diu meditatus, ad eam accuratissimo, cum versaretur apud Siamos, idiomatis studio se accinxerat.

Ad Tunchinensem igitur profectionem, sub initium anni 1631. parata fuit nauis in quam die Februarij 18. conscendere tres illi patres, & paucarum hebdomadarum nauigatione placidissimâ, optatum tenuêre Tunchini portum 7. die Martij. De illorum aduentu postquam audiêre Christiani, præsertim Cathechistæ, tum vero quantis omnes gaudiis exultare cœperint, vix assequi possum dicendo. Gratulabantur Ecclesiæ toti, ac sibi, res suas curæ Deo esse, aduenisse sibi magistros, per quos viam salutis edocerentur. Neque minor Patrum omnium nostrorum animis se infundebat voluptas, cum perspexere hominum illorum tam alacre ad diuinas res studium, & firmam adeo in susceptâ fide animi constantiam. mirabantur autem potissimùm tria hæc, primò Catechistarum incredibilem pietatem & solertiam, quippe à discessu nostro, id est mensibus

mensibus omninò decem, tres illi, Andreas, Franciscus, & Ignatius præcipuis regni totius prouinciis lustratis Christi gregem anxêre, 3340. nouis Christianis quos baptismi aquis, & sanguine agni dealbauerant. Atque illi, licèt initio (vt dixi) duntaxat iurassent, si vsque ad patrum reditum vxore prorsùs carituros, postquam tamen genus illud vitæ amplexi sunt, instaurauere denuò solemne iuramentum, & perpetuum cœlibatum sub obedientiâ patrum promisêre Deo; atque ad illud idem incontaminatæ vitæ genus plures alios pertraxêre.

Deinde mirabantur patres incredibilem Neophytorum zelum qui breuissimo eo interuallo 20. minimùm Ecclesias erexissent. Accedebat etiam arctissima omnium inter se charitas, mutuaque consensio. Amabant enim inuicem, nullo discrimine summæ nobilitatis, atque infimæ paupertatis, adeo vt qui valerent opibus, & splendore generis clari essent, versarentur familiarissimè cum egentibus, atque despectissimis hominibus, quos ante baptismum, ne verbo quidem dignari voluissent. Emicabat denique in illis eximius morum candor, vitæque puritas adeò immaculata, vt Lusitanus quidam postquam aliquandiu, omnes inspexit eorum vitæ rationes, dicere attonitus soleret posse illos haud dubiè, diuinæ legis religiosissimâ obseruantiâ, & reliquis vitæ Christianæ officiis conferri, non cum iis duntaxat Christianis nostratibus, qui piissimè viuerent in sæculo, sed cum accuratissimis etiam & maximè feruentibus, religiosissimarum familiarum tyronibus nouiciis. Id quod statim nostri comperêre

patres ex confessionum experimento, in quibus mirabilem eorum vitæ innocentiam, in dies maiorem demirabantur.

Postremum denique quod hisce patribus visum est maximè mirabile, fuit vnius ex illis robur incredile in tormentis, de cuius constantiâ æquum est dicere diffusius.



Neophyti cuiusdam Tunchinensis præclara fidei confessio, & mors constantißima. Cum pluribus miraculis.

CAPVT XXXVIII.

MAgnanimo huic Athletæ Francisco nomen erat. Dederat Christo nomen, ante annos omninò duos, atque ab eo tempore sic virtutum omnium officia coluerat, vt nullum ei tempus vacaret à pietate. Sed in sepeliendis tamen fidelium corporibus itâ erat diligens, vt suis illa humeris sæpè importaret, mandaretque humi, vt posset amantissimè. Id postquam innotuit Regis fratri, feroci viro, & Christianis parum æquo, cuius lecticam humeris deferre solitus erat Franciscus, accersit eum, increpatque vehementer, quod mortuorum corporum tactu contaminatus, non sit reueritus, vehiculum principis contingere. Abiiciat ex eo momento Christianam fidem, & deinceps turpissimo illo curandorum defunctorum ministerio prorsus abstineat. Cui Franciscus

Franciſcus modeſtiſſimè iuxtà & conſtantiſſimè, ſe verò Chriſtianum eſſe, neque ab eâ Chriſti Domini ſui fide, ac amore, vllis tormentis poſſe dimoueri. Commendari autem impenſiſſimè, illâ lege officia omnia virtutum, quibus etiam ſolis cœlum emi poſſet. Sibi quidem curæ fore vt omnia ea diligenter obeat quæ ſui erunt muneris erga principem, quidquid ab iis obſequiis ſibi reliquum erit temporis, id totum ſe Deo,& Chriſtianæ pietati dicaturum.

Excanduit ad has voces Regis frater, & ex templo Franciſcum ex aulâ iubet faceſſere, obſequitur ille ſine morâ, egreditur palatio, totum ſe operibus miſericordiæ ſtudiosè deuouet. Sed fremens adhuc irâ princeps,& fortiſſimi pugilis conſtantiam non ferens, iterum eum ad ſe vocat; atque vt Chriſto prorſus nuncium remittat, ſeuerè præcipit, negat Franciſcus ſe id facturum, moriturum ſe priùs acerbiſſimâ millies morte quam vt tantum admittat ſcelus, Princeps rapi eum imperat, vinculis conſtringi, fuſtibus cædi. Cum autem in tormentis nihil de animi conſtantiâ remitteret; ſed Chriſtum alacriùs ſemper profiteretur, augetur etiam tortorum furor; laniantur ei crura; totum corpus dirè cruciatur, ac demùm volenti, & cupienti, ſanctiſſimum caput, impiâ ſecuri demetitur. Fuit hæc prima victima quam Chriſto Domino regi ſuo dilectiſſimo Tunchinenſis obtulit Eccleſia, quæ illius irrigata ſanguine, vberiores deinceps videtur fructus polliceri.

Ad hanc inuictiſſimi militis eximiam conſtantiam, miracula quoque acceſſere plurima. Inuenere patres poſtquam eò aduenerunt tantùm illorum eſſe

numerum, vt cum exigerent accuratiùs à testibus probatissimis, quot certò scirent languentes curatos, quot pulsa è corporibus dæmonia, ingenuissimè responderent illi, numerum eorum iniri nequaquam posse, quotidiana videlicet illa esse atque vulgaria, vnus certè Petrus vir primarius, & à publicis negotiis nunquam vacans, omni tamen asseueratione affirmabat Energumenos triginta suis precibus à dæmone fuisse liberatos.

Præter alia verò prorsùs innumera, quæ Prouinciæ Gheanicæ, incredibile attulere fidei augmentum, istud sanè fuit illustrissimum, atque omnium notitiâ & sermone celebratum. Vetula quædam Ethnica languebat iam annis duodecim, totóque corpore, paralesi stupefacto, membris omnibus capta erat. Notus erat toto pago languor, vulgóque deposita salus eius habebatur. Sed diuino tamen acta consilio, postquam remedia omnia frustra experta fuerat, baptismum denique poposcit, eoque suscepto ita repentè conualuit, vt quo momento tingebatur stupentia membra solui cœperint, quid plura? euanuit subitò paralisis, surrexit, in omnium oculis sana mulier toto pago ambulauit, exiit statim, lateque vulgata est. Tanti fama miraculi, atque omnium animos peruasit admiratio, prædicantibus palam Ethnicis baptismi vim mirabilem, atque ad eum etiam suscipiendum seriò accurrentibus.

Ad hæc, Christiana quædam mulier Maura nomine, filium in eâdem prouinciâ piissimum habebat, & re, ac nomine Benedictum, qui diu expetierat, se Deo dicare, aliisque Catechistis adiũgere; sed nobis tamen aliter

aliter viſum fuerat vt viduæ matris,& egentis neceſſitati filius prudens ſuccurreret. Incidit illa in grauem morbum, ex quo etiam iudicarunt adſtantes omnes illam planè deceſſiſſe. Diriguerat quippe corpus, extincti oculi, ſenſuum vigor omnis emortuus. De ſepultura, & funere cogitare cœperat mœrens Benedictus, iamque omnia parauerat, cum ille inter ſingultus reputans animo, quam acerbo caſu mater defuncta eſſet, ſine ſacerdotibus atque ſacramentis, ingentem ſubitò, & ſanè diuino inſtinctu ſpem concepit, victuram iterùm matrem, exoratum iri Deum, atque id ſuis lacrymis, & adſtantium precibus conceſſurum. Res mira, inuitat omnes ad precandum, præit ipſe ſupplex orationem, atque inter fletus, & preces, guttulam aquæ benedictæ ori defunctæ admouet; vix admouerat, reuiuiſcit defuncta, oculos aperit, ſurgit è lecto, amanti, & ſtupenti filio redditur, beneuolè appellat, & ſalutat turbam præſertim Chriſtianorum, qui ad funus conuenerant, inuitat exequiarum loco ad diuinas laudes Ethnicos autem, qui ad idem etiam officium concurrerant, ad ſuſcipiendum baptiſmnm, id quod plures continuò fecere.





Ethnicorum complurium conuersiones mirabiles.

CAPVT XXXIX.



PRima omnium sit, notissimi cuiusdam venefici, artiumque vetitarum publici Doctoris eximia mutatio. Abhorruerat ille diù à nostris mysteriis, & Christianæ legi ab initio fuerat infensissimus, sed vbi tamen operum adeo mirabilium, certus ad eum rumor affluxit, meliora paulatim cogitare cœpit, adiecit animum ad audiendum serio Dei verbum, librum Catechismi qui fortè in eius manus venerat, totum legere decernit, vt quid tandem rei, noua hæc ferat doctrina sedulo intelligat. Sed vix exorsus erat lectionem, intumescunt ei repentè oculi tanto cum dolore, vt volumen ei excidat è manibus. Malo scilicet dæmone fores atrij sui quod tandiu tyrannicè occupauerat, occludente, ne per oculos veritatis lux ingressa illustraret animum, atque ab errore reuocaret. Imò & totum alumni sui corpus hospes impius fœdè agitabat, sed non concidit tamen animo Christi miles, ad cor enim rediens retractabat prioris vitæ scelera, quonam pœnas meritò à se repeti, tacitus reputans, vocari iubet Christianos, ac pro salute suâ supplices orare. Illi vbi aduenere dæmonem lacessere, incipiunt, imperantque cum authoritate, abscedat procul ab homine qui ad Christum confugerit, eique militare paratus sit: Nec morâ obsequi cogitur turpissimus spritus, & liberum hominem dimittit,

tit, ſed vxorem ſubitò inuadit, quæ veneficiis etiam erat debita, hoſpitemque nequiſſimum in proximo venerabatur cubiculo: aduolant Chriſtiani, & eiectis, ac confractis omnibus ſuperſtitioſi cultus inſtrumentis dæmonem in hoc altero etiam hoſpitio prouocant, & fugant. Sed necdum tamen remiſerat venefico dolor oculorum, quod baptiſmum differret ſuſcipere, donec humanâ maior ſpecie matrona, eum admonet in ſomnis, vt ſi ex hac oculorum moleſtiâ velit cõualeſcere; ſacris baptiſmi aquis ablui feſtinet, hoc medicamento malum omne depulſum iri. Neque vana fuit prænunciatio, vix obedierat abſceſſit dolor oculorum, penituſque cum vxore conualeſcens hoc vnum deinceps cœpit agere, vt quâ oratione, quâ vitæ ſanctitate omnes ad fidem alliceret, quos improbis prius artibus ab eâ reuocauerat.

Deinde rem Chriſtianam mirabiliter eodem tempore auxit nobiliſſimis ducis conuerſio, is cum gratiâ plurimum valeret apud Regem, auditâ iamdiu Chriſtianâ ſanctitate, in eius capeſſendæ ſtudium cœperat incumbere. Imo & vxori, ac filiæ quæ regis fratri iuniori nupſerat, poteſtatem fecerat vt eam ſuſciperent ac Chriſtiano etiam more viuerent; ſed hærebat tamen ipſe adhuc in vinculis, multorum tunc quidem hominum Dominus, ſed carnis tamen ſuæ ſeruus miſerrimus. Abnuebat quippe Chriſto nomen dare, quod dimittere nollet concubinas, donec è tanto eum eripere barathro volens Deus, vt ſpiritum ſaluum faceret, corpus eius grauiſſima percuſſit ægritudine, atque ad extrema deduxit, adeo vt domeſtici omnes abiectâ ſpe valetudinis acerbiſſimè lugerent. At vxori prudentiſſimæ

tissimæ ac constantissimæ fœminæ, maior de viri æternâ salute quam de morbo depellendo iniecta est cura, obtestatur eum vehementer, atque omni obsecratione postulat, vt ne ad Dei voces obsurdescat miser, baptismi salutare remedium ne adhuc differat, instare supremam diem, ac statim nisi sapiat morte peiores inferni pœnas. Emolliuere tandem durum animum, piissimæ vxoris preces, baptismum postulat, pellices dimittit, & conuocatâ familiâ vniuersâ solemniter vouet, ædificaturum se omnipotenti Deo templum opere magnifico, si ex eâ conualuisset infirmitate, aderat etiam tùm ægroti gener, Regis frater homo Ethnicus qui socerum in tanto lugens periculo, ad hæc pia opera impensiùs hortabatur. Quid plura? baptismo lustratur, lustrico Ioachimi nomine ornatur vt fiat æquale coniugum par Ioachim, & Anna; statimque piis vtriusque votis benignissimè Deus annuens, morbi vim imminuit, & Ioachimum paulo post plenæ reddidit valetudini.

Ad extremum vt alia omittam, sunt enim innumera quæ per Christianos fiunt quotidie miracula; erat in regiâ ciuitate infantulus, cui certa mors imminebat, toto enim rigebat corpusculo, & spiritum ægrè trahebat: vt hoc videt Christianus miles, baptizat secretò puerum, vt cum de corpore actum sit animæ saltem medeatur. Sed contra quam ille animo præceperat, vix lustratus erat puer; subitò mutatâ in melius facie, arridere incipit, nullaque prioris status seruans vestigia, prorsus conualescit.

Neque per Christianos duntaxat velut filios amantissimos opera hæc adeo mirabilia patrabat Deus, Catechu-

Catechumenis etiam eadem sæpè gratiæ vis inerat. Vnus ex eis orationem Dominicam cum Angelicâ salutatione vix, integrè didicerat, casuque transiens per syluam, inuenit hominem humi iacentem, & morti proximum, cui vt opituletur, accurrit subitò ad flumen, aquam haurit, & salutifero crucis signo benedicit, dein semel Dominicam orationem & angelicam salutationem, optimè vt potest recitat, ægrotum vix infusâ stillâ tinxerat, redire illi cernit vitam, & vires integras, Deumque ambo laudantes mirabilem fidei vim deprædicant.



Quanta fuerit Regis erga nostros humanitas vsque ad discessum Lusianæ nauis.

CAPVT XL.



HIc Tunchinensis Ecclesiæ status erat, quo tempore nostri eò appulere, audito autem eorum aduentu tantus repente venientium ad fidem Ethnicorum factus est concursus, vt duobus illis mensibus quibus ibi cum naui suâ fuêre Lusitani, baptismo lustrati sint tres supra mille. Concitata enim & accensa eorum studia etiam augebat regis erga nostros eximia humanitas, quòd eorum interuentu speraret copias auxiliares à Lusitanis, quales audierat missas esse Cinis aduersùs Tartaros. Quippe hâc spe ductus, plenissimam patribus potestatem fecit Christiana mysteria palam edocendi, & baptismum conferendi, prohibitâ tamen semper confra-

ctione idolorum. Verùm vbi posteà perspexit dimoueri non posse Lusitanos ab antiquâ Cocincinensium amicitiâ, cœpit etiam ipse statim ab illa priori erga nostros beneuolentiâ paulatim deficere, cumque nauim paratam vidit ad discessum, nostris etiam enunciari iussit vt exirent cum suis. Ad quod adeo acerbum mandatum Christiani omnes perculsi egere confestim omnia, vt Regis animum immutarent, consiliumque illud discuterent. Neque tamen obfirmatum animum prorsùs euicere, assequuti duntaxat sunt vt duobus, potestas esset manendi, sed interdici penitùs eis, ac seuerè prohiberi, omnem vt hactenùs fecerant diuini verbi prædicationem.

Non fregit hæc procella fortissimorum hominum constantiam, sed parendum ventis rati, aliam sibi viam ad Christianos excolendos ineundam putarunt, quà & regem ipsum mitigarent, & animarum negotia sedulò promouerent. Statuerunt videlicet vt eorum vnus veniret in aulam quotidie, atque in conspectum regis se daret, vt Rex eo tàm assiduo ipsorum conspectu piè deceptus, facilè crederet, nostris in regio palatio adeo frequentibus, nihil superesse posse temporis & otij ad Christianorum conuentus faciendos, quibus tamen edocendis indefessam interim dabant operam. Commodùm autem id temporis altera Lusitana nauis aduenit, atque in eâ duo è nostris strenui operarij, Pater Hieronymus Maiorica, & P. Bernardinus Regio ambo Itali, & ad laborandum in eâ vineâ optimè animati. Conuenere igitur deinceps faciliùs in aulam, ex quâ in priuatas Christianorum domos se proripiebant, vbi ad frequentissimos fidelium cœtus,

diuina

diuina per otium mysteria peragebant,sine vllâ Ethnicorum querelâ & offensione, qui ad eos occultos conuersus vix poterant aduertere.

Sed ad festum tamen natiuitatis Christi,non se continuit fidelium pius feruor, cum enim graphica quædam præsepij,ac totius huius mysterij, subiecta oculis palam esset delineatio,confluxere vndique cum Christianis etiam Ethnici tanto numero, vt in iis edocendis,& expiandis confessione peccatis, octo dies integri abierint, baptizandorum autem tot manipuli, vt septem mensibus quibus in portu nauis substiti, Initiata sint Tunchinensium omninò tria millia. Quantâ verò vitæ sanctitate,virtutumque omnium laude, ista floreat Ecclesia,ex hoc vno colligi potest. Pridiè semper,quàm ad confessionis sacramentum veniant, ieiunium præmittunt,& flagellationem, quam etiam sextâ feriâ cuiusuis hebdomadæ religiosissimè instaurant, siue domi apud suos agant; siue in viam se dederint, aut etiam naui vehantur,nauigabat aliquando Lusitanus, eâdem cum aliquot Neophytis cymbâ,ecce tibi nocte intempestâ strepitum audit quasi decidentis magno impetu pluuiæ. Miratur tam subitò mutatam esse cœli faciem, quæ pridiè tam Suda & serena fuerat,sed continuò tamen videt pluuiam illam totam esse flagellorum, super Neophytorum humeros perpetim crepitantium, mirari scilicet & laudare cœpit tantam illam pietatem & inertiam suam damnare.

Neque minori sanè dignus videtur præconio arctissimus ille nexus beneuolentiæ quò coustringuntur inuicem,& extraneos etiam omnes, ac miseros suauissimè

 simè

ſimè complectuntur, ſed nuſquam eſt ſanè mirabilior, quam erga eos quos iudicum ſententiâ ſciunt morte damnatos eſſe. Aduolant enim ſtatim ad carcerem, moriturum hominem blandiſſimè adeunt, Christiana edocent myſteria, baptiſmum ſuadent, & credentem omni præſidio ad mortem parant. Conueniunt demùm turmatim ad locum patibuli, neque deſerunt donec extremum Deo ſpiritum tradiderit, corpuſque demùm tumulo condiderint.



Virginum multarum eximia pudicitia & conſtantia.

CAPVT XLI.



Vod de perſecutione à Nerone in Chriſtianos excitatâ, quæ prima omnium naſcenti Eccleſiæ incubuit, narrant annales Eccleſiaſtici, ortum illam duxiſſe à proiectâ principis libidine, idem ſanè de Tunchinenſi Eccleſiâ verè affirmari poteſt; multa illam, & grauiſſima incommoda paſſam eſſe, propter magnatum aliquorum fœdam turpitudinem. Chriſtiana quædam puella nomine Daria, ſpecioſiſſimo in corpore formoſiorem adhuc gerebat animam. Eam pagi Dominus vbi nata erat, inſanè adamabat, optabatque habere concubinam, quod caſta virgo non ferens, & vim etiam aliquam ab homine impuro metuens, vt periclitanti pudicitiæ conſuleret, occultiſſimâ fugâ in Chriſtianorum ibi degentium tutelam ſe contulit. Id ille vbi vidit, impudicitiæ, ac iracundiæ actus tædis ardentibus, furere cœpit in Chriſtianos.

Inquiri

Inquiri præcepit Dariam, & ad ſe deduci, ni facerent, experturos eos quid offenſi principis ira poſſit in facinoroſos. Ad quæ conſtantiſſimè Chriſti milites, quos habebat pagus ille omninò 60. Dariæ poſtquam Chriſti ſponſa eſſe cœpiſſet, nefas prorsùs eſſe tradi alteri concubinam, & ſibi quoque fidem eam profitentibus, prodere vbi deliteſceret, grauiſſimum ſcelus fore: quo reſponſo accenſus tyrannus exarſit, atque iræ impotens, militum petulantium turbæ Chriſtianos illos cruciandos tradidit. Illi turpiſſimi principis mandato audito, inuolant cœco impetu in paratas victimas, & totum in eas furorem euomunt, verberibus lacerant, diſcruciant tormentis, fortunis omnibus euertunt. Sed aduersùs hæc omnia impauidi, fortiſſimi Chriſti pugiles, ſolemni primùm omnes ſacramento ſanctiſſimè ſpondent, ſe neque vi vllâ propoſitâ pœnarum, neque acerbiſſimo vllo mortis genere, dimotum iri à fide, deinde ſtatuunt, dimiſsis domibus, atque fortunis omnibus, in regiam confugere vbi propter tantam vrbis capaciſsimæ amplitudinem latebræ illis eſſent futuræ faciliores. Dehinc ſcriptâ ſtatim ad noſtros epiſtolâ vehementer obſecrant vt ad ipſos in tantis anguſtiis conſtitutos eorum aliquis venire ne grauetur, apud quem expiare prius peccata poſsint, quàm aliò iter intendant. Accurrunt extemplo noſtri, & piiſsimos homines inueniunt, in Chriſtiani cuiuſdam domo, gaudio triumphantes, quod digni habiti eſſent pati pro pudicitiâ contumeliam. Gratulantur eis, & ad maiora etiam accendunt certamina. Sed eorum miſerata tolerantiam matrona nobilis etiam Chriſtiana; Da-

riam apud se retinere statuit,& Christianos ab eâ totâ vexatione liberare.

Alterius quoque Neophytæ cui Piæ nomen erat periculosior pro pietate,pugna fuit,& victoria gloriosior. Mancipata illa iam pridem erat sponso Christo,cui se totam deuouerat, sed insciis tamen parentibus adhuc idolorum cultoribus, & primario quodam viro, qui eam ab infantiâ domi aluerat, & in concubinam etiam designauerat. Tunc autem facta iàm nubilis iubebatur & pudicitiam & fidem deserere. Quod illa cum negaret constantissimè, certoque affirmaret sibi facile posse vitam eripi, pudicitiam & Christum nunquam auelli posse, furens lasciuiâ intemperans procus, omnia tentat,vt insanæ libidinis machinis expugnet pudorem. Et nunc blanditiis, nunc minis,sæpiùs verberibus innoxia membra discruciat, ac tandem amore,vt fit,in odium conuerso decernit etiam innoxiam crudeliter mactare. Id quod illa subodorata clam aufugit, atque in domo vetulæ cuiusdam piissimæ victrix Pia delitescens, præsidium inuenit vitæ,atque pudicitiæ.


Infinitus sim si omnia Christianorum cum Ethnicis certamina commemorem,sed vnum tamen Ignatium adolescentem fortissimum præterire nullo modo possum. Fuerat ille vnus ex illis qui primi è Tunchinensibus,Christi fidem amplexi sunt. Quo nomine à parentibus male vexatus, alacri semper animo inuictus stetit, instabant quippe atrocibus minis, & verberibus etiam crudelissimis constantiam iuuenis lacessebant, cumque constantissimè ille semper neque minis neque plagis cederet; illi ardentes furore,
domo

domo filium extendunt, detractâ veſte optimâ, laceram offerunt penulam, inſcriptiſque demùm tabulis publice coram magiſtratu profitentur, nolle ſe illum habere filium qui Deos ſuos colere renueret: ſpectabant fortiſſimi Athletæ conſtantiam Ethnici omnes cum ſtupore, augebantque oppugnantium parentum conatus ſuis etiam ipſi machinis, ſed cum augerent potiùs Vincentis coronas, toto pago eum extrudunt. At ille omnibus incedens gaudiis, & paternâ domo & patriâ eiectus, ad ædes noſtras diuertit, atque in his domeſtica lætus obit miniſteria.



Laënſis expeditio per noſtros fruſtrà tentata.

CAPVT XLII.



Vm Chriſtianæ religionis negotia tàm proſperum Tunchini tenerent curſum, eiuſque rei fama increbreſceret, quotidie magis, peruenit etiam ad legatũ Laorum regis, in Curiâ Tunchinenſi negotiorum causâ tunc agentem, is arctiſſimâ cum noſtris neceſſitudine iunctus, ac beneuolentiâ, cogitauit de illis in patriam ſuam introducendis, atque ad id operam ſuam vltrò detulit. Placuit P. de Amaral tàm præclara propagandæ diuinæ gloriæ opportunitas, eamque cupidiſſimè amplexus monendum priùs de aduentu ſuo putauit Laorum Regem, per Epiſtolam quam Catechiſtis duobus Andreæ, ac Thomæ deferendam tradidit, cum pulcherrimâ Chriſti Saluatoris Imagine. Litteras Rex accepit cum

cum eximiâ testificatione beneuolentiæ ipsamque imaginem cum magnatibus suis supplex veneratus est, authores illi omnes fuere, vt nostros omninò aduocaret in terras suas, nihil vel ipsi regi honorificentius, vel toti regno vtilius suaderi posse. Rex verò prolixissimè id pollicitus, conscribi statim iubet epistolam, in quâ patrem humanissimè inuitat, gratissimum sibi fore aduentum eius, ac iucundissimam etiam nouæ illius legis promulgationem, eam epistolam legato ferendam tradit, illique comitem viæ Thomam designat, retento interim apud se Ioanne, cum mandatis, vt veniente patre redeat etiam ipse Thomas, & vno aut altero die præeat, vt Rex intellecto aduentu patris, mittere possit obuiam primarios aulæ suæ viros, qui honorificentissimè eum in aulam introducant.

Audierant Laënses proceres differentem aliquoties de rebus diuinis Thomam, & tam eximiam nouæ illius legis speciem mirati, vltrò profitebantur se audito patre illo quem expectarēt, fidem illicò suscepturos, id sibi omninò fixum esse, ac constitutum. Accepit regis epistolam & reliqua etiam audiuit omnia lætissimo animo P. Amarallius, expetebatque omnibus votis ad illam præclarissimam expeditionē se accingere, sed tres eum potissimùm causæ retardabant. Prima erat quod cum Tunchinensium omnium missionum moderator esset constitutus, difficillimum putabat inconsultis Amacaï superioribus officium illud suum alteri committere. Deinde diuturnis etiam ipse confectus laboribus, fractas omninó habebat vires, atque oneri tanto impares. Obierat quoque per eos dies, magno

omnium

omnium dolore.P.Bern.Regius,continuis illis exhaustus curis. Accedebat denique inopia operariorum, cum enim tanta tunc in Ecclesiâ illâ florentissimâ spes esset vberrimæ messis colligendæ, stultissimum ducebat hâc dimissâ nouam illam,& incertam expeditionem suscipere.Scripsit ergo ad Regem sibi quidem esse acerbissimum quod grauissimâ tunc quidem corporis ægritudine præpeditus, amantissimæ Regis voluntati,ac cupiditati etiam suæ,obsequi eo anno 1636. nequaquam posset, sed altero tamen anno recuperatis,vti sperabat,viribus,daturum se operam, vt ad optatissimum regnum iter impigrè intendat.

Interim autem P. Emanuelem Dias Amacaï tunc agentem,qui P.Andrea Palmerio nuper defuncto, in munere visitatoris suffectus erat,per litteras de toto eo negotio diligenter monet, & nouos ad præclaras has missiones operarios enixè postulat. P. Diazius vt eximio in Dei gloriam erat zelo,curas statim conuertit omnes,ad seligendos ex Amacaënsi seminario maximè idoneos ad tantam procurationem, tres autem ex omnibus strenuissimos fore iudicauit P.Ioan.Bapt. Bonellum Italum Collegij Amacaënsis Rectorem P. Raymundum le Gouea Aragnensem Theologiæ anteà professorem,& tunc maiorum studiorum generalem præfectum , quibus insuper tertius accessit P.Martinus Coëlho Lusitanus quos omnes egregiè animatos ad insignem adeò expeditionem continuo dimisit.



Laënsis expeditio per Tunchini terras, frustrà tentata, fœliciores aliunde successus habet.

CAPVT XLIII.



P. Bonellus tametsi Tunchinensium missionum visitator delectus erat, eâ tamen ardebat cupiditate quæstus animarum, vt officio illo visitatoris dimisso, totum se Laorum expeditioni obeundæ addixerit. Audiuerat enim amplissimam illic paratam esse messem, ad quam in horrea Dominica inferendam toto incumbebat desiderio. Adiunctis itaque sibi viæ ac laborum sociis Andrea & Thoma Catechistis, & iunioribus præterea nonnullis qui seipsos in vitam totam Christo mancipauerant ineunte Octobri anni 1638. dat se in viam periculis plenissimam sed animi robore, ac constantiâ laborum molestias superabat. Donec tandem per vastas quasdam solitudines, & inuios montes peregrinantibus ingruere cœpere frigora, omnia glacie, niuibus latè horrere, adeo vt sancti viatores toto sæpè rigentes corpore, incredibiliter torquerentur: Et primus quidem omnium P. Bonellus vim frigoris vltra non ferens, deficientesque sentiens vires, intellexit imminere sibi vitæ, ac laborum finem cum Laënsis itineris mediam partem vix confecisset. Accinxit ergo se lætissimus ad sequendum in cœlos vocantē Deum, & Christianis omnibus officiis deuotissimè perfunctus commendatisque impensiùs, ac manu suâ notatis

iis

iis quæ ad suscepti negotij felicem exitum opportuna fore iudicabat, sanctissimè diem obiit. Sociis autem illis suis, ac præsertim Andreæ, amantissimè iniunxit vt ne cœptis desisterent, ad præclaras illas Laorum terras penetrarent intrepidi, & Christi nomen qua cœperant fiduciâ importarent non defuturam ipsis orbatis patre, Christi paternam opem.

His illi monitis accensi vim illam frigorum molestissimam non verentur, susceptum persequuntur iter, ac tandem post infinitos labores, ad optatum perueniunt regnum. Illic sanctissimam Christi legem vbique annunciare aggrediuntur, Rex ipse Laorum cum optimatibus, non doctrinæ splendorem quæ tradebatur, sed personarum vilitatem attendentes, per quas illa offerebatur, neglexere amplecti veritatem quam nullus Europæorum Patrum edoceret. Audire se omninò velle vnum quempiam ex illis, simul loqueretur credituros omnes, & de mutandâ religione seriò cogitaturos. Nunc quando non viderent nisi Tunchinenses, à quibus idolorum cultum aliàs accepissent, non commissuros se vnquàm vt illorum duntaxat suasu, ad ea damnanda induci se paterentur. Cumque iterùm & sæpius obfirmatis animis hæc iactarent, integrum annum duxere Catechistę, nullo fere alio fructu quàm laborum, & patientiæ, atque adeo cogitare cœperunt de reditu, sed dum ad iter se accingunt, peregrinationis inuenit finem vocatus ad cœlum Andreas, constans & indefessus annorum vndecim operarius, quibus plura Tunchinensium millia fidei adiunxit, & incredibili virtutum omnium luce vniuersam hanc Ecclesiam illustrauit. Et ne

ſolus cœli viam capeſſeret, adunctus eſt ei coronæ ſocius, meritorum egregius imitator Hieronymus. Magnæ ſpei iuuenis. Adeo vt Laorum miſſio etiam tentata, Egregios Tunchinenſium operarios abſumpſerit.

Deſtinauerat autem ad eximium illud opus æterno conſilio Deus P. Ioannem Mariam à Leria, qui è Cocincinæ terris pulſus, ad Laorum ſtatim regna penetrare aggreſſus eſt: Et primùm tentato fruſtrà, per Siami terminos aditu, fœliciùs poſteà per Cambozem amnem eo pedem intulit octo ab hinc annis: venitque cum Cocincinenſibus aliquot Catechiſtis in vrbem regiam, vbi Conciliato ſibi plurimum Rege, ac magnatibus etiam deuinctis, multos Chriſtianâ fide imbuit, ſperamuſque ampliſſimos ex eâ regione fructus, ſi modo non defuerint operarij.



Moleſtiſſima quædam perſequutio Tunchini à ˆinis concitata, ſedatur tandem in ipſorum authorum pudorem.

CAPVT XLIV.

FLorebat igitur eo tempore Tunchinenſis Eccleſia maĭorem in modum, præſertim autem in Prouinciâ *Ghean* lætiſſima erant omnia, cùm ecce ardentes inuidiâ cultores idolorum, Chriſti gregem, cum per ſe ipſos non poſſent, per emiſſarios Cinas qui ad hunc portum mercimoniorum causâ ſæpè confluunt, vexare aggreſſi ſunt. Verſabatur fortè in templo cum Chriſtianis P. Hieronymus

nymus Maiorica, dabatque sacris operam, & suos de more omnibus pietatis officiis informabat. Cùm ecce subito impetu Cinæ 50. templi fores perrumpunt, & in confertam turbam irruentes, pugnis, & fustibus obuios quosque petunt, & P. ipsum Maioricam ferreo malleo percutiunt. Quod vnus è domesticis famulis non ferens, Cinam illum patris percussorem repellit, atque inter mutuam illam concertationem vulneri vulnus reponit, excluduntur postmodum è templo Cinæ, ac tumultus omnis compescitur.

Sed postridie tamen manè tumultuantes iterùm Cinæ demortui vnius è suis Cadauer Magno eiulatu deferunt in templum, & Christianos peracti pridiè homicidij reos peragunt; cùm tamen ipsi haud dubiè miserum, leuissimo duntaxat hesterno vulnere saucium domi enecassent. Ad magistratum deinde conuolant exponunt crimen, vltionẽ deposcunt. Infensissimo ille semper in Christianos fuerat animo, atque hâc occasione vtendum ratus, P. Hieronymum cum aliquot aliis compingit in vincula; & paucis post diebus, in regiam vinctos dimittit, dicturos causam coram ipso Rege. Sed non diù latuit Cinarum flagitium. & Patris ac sociorum innocens vita. Breui enim regis sententia Patrem absoluit ab omni suspicione criminis, Cinas autem impostores pronuncians seuerè iussit, deinceps quiescere, atque à perturbandis Patribus abstinere. Sed interim dum in Curiâ, capitalis hæc causa discutitur, Christianis, in prouinciâ illâ remotissimâ degentibus, multa intulere damna furentes idololatræ, templumq; ipsum solo æquantes, omnia pietatis monumenta pollucebant; donec tandem victor obtentâ causâ, Pater

Hieronymus rediens, tenebras omnes discussit, redditâque Christianis pace de omni Ethnicorum perfidiâ gloriosum triumphum egit. Quippe gubernator etiam supremus prouinciæ perspectâ eius eximiâ virtute ac innocentiâ, humanissimè illum euocari iussit, amplissimam agendi cum Christianis potestatem fecit, imò & templum ipsum, eorum impensis per quos erat dirutum, restaurari sanxit. Adeo vt sedatâ tempestate Pater eo anno 1639. Ethnicorum capita duo millia quadringenta septuaginta duo, dæmoni erepta, in Christi castra per baptismum transtulerit. Atque vt præteritorum malorum memoriam omnem Deus è fidelium animis deleret, effecit cum ingenti eorum gaudio, vt breui posteà interuallo Cinensis alterius nauis Dux, Christianorum amantissimus supplex accederet ad Ecclesiam, atque ibi coram saluatoris imagine prostratus, pro iniuriâ ipsi à ciuibus suis illatâ, veniam multis cum lacrymis exorauerit.

Qui autem Cinas illos sacrilegos postea finis vlciscente numine oppresserit operæ pretium est huc apponere. Vestes enim sacras per derisum procaciter induerant multaque blasphemè iactauerant in Christum, sed vigiles Dei oculos, manumque præpotentem euadere nequaquàm potuere miseri, cum enim auditis eorum sceleribus Rex Tunchini, dignas de his pœnas repetere cogitaret, societatem inierunt cum aliquot hollandis, vt cum iis aufugerent in Iaponem, potauerant autem quodam die largiùs hollandi, atque in ipsâ naui altissimo eos somno crapula oppresserat; quod perfidi Cinæ intuentes, humanitate omni abiectâ, irruerunt in eos, & omnes ad vnum

enecarunt,

enecarunt, merces deinde quibus nauis onusta erat diuisere tres in partes, & ne dignosci possent nauibus totidem imposuere, quarum prima postquam ad Cinensem portum appulit, capta est à gubernatore, & merces eius omnes direptæ. Altera profecta versus Cocincinam in scopulos illisa periit. Tertia vbi Camboiam attigit agnitis ex hollandico signo mercibus, capti prædones nefarij, tormentis coacti tandem sunt fateri patratum facinus, & meritis statim suppliciis puniti.



Tunchinensis Ecclesiæ lætissima incrementa & operariorum aliquot mors acerbißima.

CAPVT XLV.



IN ter procellas illas, & turbines Tunchinensis nihilominus Ecclesia mirabilem in modum adolescebat. Anno enim 1639. censebat Christianorum octoginta duo millia quingenta; suscepere autem baptismum eo ipso anno duodecim millia 500. præter eos quos Bochinensis prouincia plurimos numerabat, Ecclesiæ maiores centum habebantur, Vbi festis semper diebus frequentes Christiani, Sacramentis, & diuinis eloquiis pascebantur. Minores Ecclesiæ omninò 129. in quibus cum nostri aberant, Christianarum precationum pensum ritè Neophyti persoluebant. Ad hæc oratoria innumera quæ domi quisque suæ impensissimo studio adornabat. In Gheanicâ certè prouinciâ

ciâ 72. pagorum omnes ferè incolæ Christum colebânt, atque in singulis plurimi tum adolescentes, tum puellæ, illibatum pudicitiæ florem seruabant ex voto. Virginem quandam Christiani parentes desponderant Christiano, & eximiè pio iuueni, cui vbi primùm facta est potestas loquendi cum sponsâ sine arbitris, mentem illi suam aperit, nihil optare se magis quam amatori Virginum Christo, intaminatum corpus offerre. Illa verò sereno atque triumphante vultu profiteri idem sibi penitus insedisse animo consilium, fixum sibi omninò virginem mori. Consulitur super eo negotio Confessarius, ambo pudorem perpetuum voto firmant.

Neque vero desunt etiam multi coniuges qui mutuo cōsensu post peractas nuptias seruent cœlibatum, neque pauciores viduæ adhuc iuniores quæ continentiam vltro spondeant, id vnum dolentes, quod annunciato sibi tardius Christo, seriùs etiam decus pudicitiæ agnouerint. Ad hæc quam plurimi à parentibus & propinquis multa sæpè ac grauissima bella patiuntur, pro defensione, virginei pudoris. Vt mihi, atque aliis quampluribus qui Ecclesiæ huius statum perspexere, sanctè affirmare liceat, nullam à pluribus iam sæculis Ecclesiam nouam fundatam esse, in qua virtutis huius diuinissimæ amor, frequentior fuerit & feruentior.

Cum verò in messe adeo amplâ, & copiosâ, operariorum tamen tanta sit penuria, tum mirabili Dei prouidenriâ factum est, vt ex iis qui huic muneri strenuè incumbebant, plerique oneri succubuerint, & laborum magnitudine viribus exausti tabem contraxerint.

xerint. Posteà enim quàm reuocatus erat Amacaüm P. Amarallius vt fractas diuturno labore vires restauraret, suffecti erant in eius locum P. Balthazar Caldeira è primariâ inter Lusitanos nobilitate; & P. Iosephus Maurus qui venerat ex Italiâ, quod illi munus auidissimis suscipientes animis, cœperunt strenuissimè laborare, ac P. quidem Iosepho *Thin hoa* obtigit prouincia, eamque adeò feracem, & tot Christianorum millibus abundantem prouinciam tanto excolere cœpit studio, vt antè illius anni finem in acutissimam incideret febrim ex quâ statim cognouit instare sibi supremum diem, ideoque de apparando discessu cogitans, P. Balthazarem socium charissimum, qui distabat itinere duorum dierum, protinus accersiit; ille impigrè aduolat, & quidem opportunissimè, vix enim Sacramentis munitus erat ægrotus, cum incidere cœpit in delyrium, ac paulo post morte placidissima extinctus est: eximius sanè vir qui tametsi annum ageret duntaxat 31, Canos tamen meritis æquabat, nihil illo mitius, nihil sanctius, vt meritò lacrymis eum suis, & tota Tunchinensis Ecclesia, quæ plurima ex ipsius laboribus sperabat incrementa, & nostri etiam omnes morientem sint prosequuti.

Neque P. Antonio Barbozæ alia sors obtigit, quippe cum annis 4. in huiusmodi laborum palæstrâ se ipsum supra vires exercuisset lentâ febri correptus est quæ degenerauit posteà in phtisim, sed in tabido illo, & marcido corpore vegetus tamen & viuax perstabat animus neque cessare volebat à laboribus, honorificentissimum sibi fore prædicans è præstantissimis

 illis

illis officiis pietatis in cœlum assumi. At moderatoribus nostris longè aliter visum est, eximij enim operarij pretiosissimam vitam ducentes omnia pro eius incolumitate tentarunt remedia, primùm reuocandum putarunt Amacaüm, atque medicorum arti ac manibus traditum variè curarunt. Cumque vana esse videre omnia, dimisere Goam si forte mitioris cœli temperie, vires instaurari possent. Sed prostratâ iàm penitùs naturâ, & continuis illis laboribus omninò fractâ, inanes fuere curæ, superauit remedia omnia ægritudinis malignitas, breui enim posteà extinctus, maximum nobis omnibus reliquit sui desiderium, & sanctissimæ vitæ præclarissimum exemplum.



Neophytorum aliquot mors sanctissima.

CAPVT XLVI.


Rimum hoc loco commemorare animus est Ioannis Catechistæ obitum fœlicissimũ, quem Regis gener Bochinicæ prouinciæ supremus eo tempore gubernator crudelissimâ morte mactauit. In hâc ille prouinciâ perpetuis octo annorum laboribus, incredibiles fructus tulerat; quippe innocentissimus, atque integerrimus iuuenis mirabile quoddam acceperat à Deo donum curationum, quod infidelibus etiam ipsis notissimum, magnam ei apud omnes conciliabat venerationem. Atque ipsi etiam gubernatori egregia illa virtus probata fuerat, quem periculosissi-

mo

mo morbo laborantem, præsentissimo solius precationis remedio curauerat; indeque tantâ erat in eum beneuolentiâ, vt suis eum sumptibus aleret, & Christianis etiam ipsis pollicitus sæpius fuerat, pulcherrimam intra palatij sui septa, & capacissimam Ecclesiam. Simul autem ægrotare cœperat aliquis è domesticis, accersebatur ipsius iussu vnus aliquis è Christianis cuius deprecationibus apud Deum morbus depelleretur.

Contigit itaque vt è Concubinis vna quam ille habebat charissimam periculosissimè decumberet; nihil habet prius gubernator quam vt euocet Ioannem & preces ab eo pro amicâ postulet. Ille rem Deo ingratissimam, & Christiano nomini parùm honorificâ se facturum ratus, si pro turpissimæ mulierculæ valetudine Deũ exoraret, quem illa tanto iam tempore suâ libidine offenderet, constantissimè negat se gubernatori eâ in parte obtemperaturum, domum etiam ipsam adire renuit sæpiùs vocatus, mortem intentat gubernator ni pareat, ille subiturum se potiùs acerbissimam millies mortem, quam inferat tantam nomini Christiano labem: hîc non se capiens præ furore gubernator; septem è militibus suis mandat, vt rebellem protinùs rapiant in campum, & lanceis confodiant. Nihil acceptius sibi esse posse gaudens testatur Ioannes, quàm, ne tantam animæ suæ maculam contrahat, sanguinem, ac vitam profundere, raptatur sine morâ, mortem amans ne peccato inquinetur, confoditur à crudelibus famulis, immitis Domini à quo tamen sceleris tanti pœnas breui postea interuallo, vltor Deus meritas repetiit; oppressus enim à Rege Cocin-

cinæ vxorem & filios rapi vidit in captiuitatem, atque in eâ miserrimè contabescere. Ipse autem ad Tunchini Regem socerum suum præcipiti fugâ elapsus, cum se tutum putaret, multorum tamen criminum reus compertus, coniectus est in carcerem, & fame necatus, eius cadauer toto insepultum triduo, pendere publicé visum est è patibulo, vlciscente manifestè Deo, & suam, & Ioannis contumeliam.

Neque minorem videtur habuisse constantiæ laustantiæ laudem, aliorum prætereà duorum obitus, quos Tunchinensis Ecclesia hoc tempore coronatos vidit. Primus Caius cum pro fide Christi captus, ac vinctus esset, iis ipsis à quibus torquebatur, Christiana mysteria tradere non intermittebat, quâ mirabili animi fortitudine tortores superati vinculis eum exemerunt, sed cum probare vellet athletam suum Deus priusquàm coronà donaretur, nouo eum prælio exercuit. Lepra enim pestilentissima, toto ipso diffusa corpore, fœtorem exhalabat tantum, & suis omnibus adeo intolerabilem, vt eum nemo siue grauissimo incommodo ferre posset. At ille in iis doloribus incredibili animi fortitudine, morbi vim eludebat, cum autem excsâ ferè carne marcidum tabe corpus spiritum vix traheret, animamque ferè iam exhalaret; amantissimè ad filios conuersus, vos vero (inquit) charissima mea pignora, excipite postremas morientis parentis voces, amate; hoc vnum obsecro & obtestor, Amate Dominum meum Iesum, atque illius amori studia vestra vitamque omnem deuouete. Cadauer hoc fœdum sine pompâ & honore funeris, quo IESVS meus carere voluit, in altissimam scrobem defodite, ne

tabo

tabo ſuo aërem etiam inficiat. Tum in dulciſſima cum Deo prorumpens colloquia, quando veniam, & vultui tuo apparebo, IESV ſuauiſſime, quid deſideria differs ſuſpirantis famuli, & in amplexus tuos cupidiſſimè anhelantis, atque in his huiuſmodi ſuſpiriis piiſſimam animam exhalauit.

Alter è duobus erat Ioachim, multorum vir meritorum, à quo ampliſſima primùm ædificata fuerat Eccleſia, deinde in odium Chriſtianæ pietatis, pulſus in exilium, ſæpiuſque coniectus in vincula, & flagellis cæſus, victis tandem omnibus Chriſtiani nominis aduerſariis octogenarius domi ſuæ tranquilliſſimâ morte obiit. Animaduerterat autem paulò antequam moreretur, ſollicitos iuxta patriæ morem eſſe filios de veſtibus nouis ipſi conficiendis, Eia (inquit) filij ſuauiſſimi? ecquid de putridiſſimæ carnis huius ornatu cogitatis, quæ vermium futura eſt eſca & præda; quin? potius ad animæ decorem, & ornamenta, ſi me amatis, curas omnes veſtras cogitationeſque conuertitis, vt ad immortalitatis ſtolàm ſe paret, ad quam omnibus votis moriens aſpiro. Quibus in verbis & dicere deſiit & viuere.





Catechistarum aliquot, & complurium aliorum finis deuotissimus.

CAPVT XLVII.

TRes amisit vno fere tempore Catechistas hæc Ecclesia, quorum amorem incredibilem & susceptos pro eâ propagandâ labores, colere sanè debet, pietatis & virtutum omnium memoriâ sempiternà, fuerunt illi Thomas, Thadæus, Ignatius, qui vltimus nostrorum ab initio laborum omnium particeps, & socius fidelissimus, tantum profectò, in huiusce vineæ culturâ curarum, ac amoris contulit, vt totum se vigiliis, peregrinationibus, curis, consumens vires omnes corporis exhauserit. Anno ætatis 45. immaturâ & omnibus fidelibus acerbissimâ morte citiùs præreptus.

Trium illorum Catechistarum tristissimum obitum, breui excepere funera trium item eximio candore, ac virtute iuuenum, Caroli, Francisci, Angeli; & Carolus quidem postquam hæreditati amplissimæ prætulisset opprobrium Crucis Christi, & prosapiæ nobilissimæ, Dei & Ecclesiæ obsequia eximios in viâ Dei quotidie faciebat progressus, mittebatur eo tempore Pater eius à Rege Legatus in Cinas, qui ante profectionem filium per litteras benignissimè inuitat, vt veniat ad Patrem, polliceturque si venerit opes plurimas, & dignam tanto Patris amore fortunam. Fecere illi sine morâ nostri copiam eundi ad Patrem,

at

at ille metuens, ne si respexisset retrò, minùs videretur aptus esse regno Dei, neglexit oblata munera, maluitque Christo placere; quam Patri obsequi, breuique posteà ob perpetuos labores, lentâ consumptus tabe, defunctus est, & ad ampliora munera in cœlum receptus. Franciscus robustissimo cum esset corpore, totumque se deuouisset Christo, perferendis vltrò citroque litteris, & longissimis itineribus obeundis totum robur corporis exhausit, & post eiectos summo cum dolore pulmones extinctus; Tertius non moribus minus quàm nomine ipso Angelus, postquam prouinciæ huic vniuersæ mirabilis cuiusdam virtutis exempla dedit, sanctissimâ tandem morte viam sibi ad cœlum certissimam muniuit.

Neque mulierum minores victoriæ fuere. Baptismum diu expetierat matrona nobilis atque opulenta, & ad eum suscipiendum omnibus se Christianis officiis parauerat. Oratorium illi erat domi ornatissimum, in quo flexis quotidie coram pulcherrimâ imagine genibus deuotissimè orabat; & in pauperes præsertim Catechistas alendos, pecuniarum vim maximam profundebat, hoc vnum omni semper obsecratione postulans à Deo, vt ne prius excederet e vitâ quam baptismum ritè suscepisset. Cum autem medio quodam in itinere grauis eam opprimere cœpisset morbus, cruciabatur intimis sensibus quod omni Christianorum solatio destituta moreretur, sed breui mœrorem omnem abstersit Christianæ cuiusdam ac prudentissimæ fœminæ aduentus, Monicæ nomen erat, per quam baptismo ritè lustrata, & Columbæ nomine donata, inter pios maximarum virtutum actus

placidè defuncta est. Deferebat autem Columba dum viueret, in sinu suo crucem pulcherrimam, quam eodem secum claudi iussit tumulo, id cum resciuisset Ethnicus quidam ditissimus, qui defunctæ funus curauerat, quadragesimo post obitum eius die, aperire secretò iussit sepulchrum vt inde auferret crucem, sed quod neque quærebat, neque futurum sperabat, defunctæ corpus integrum reperit, atque illibatum, ex quo etiam suauissimus latissimè spargebatur odor: quo spectaculo territus ipse, ac omnes Ethnici miraculum renunciauere Christianis, & fidei vim eximiam etiam inuiti prædicauere.

Fœlicissimum quoque obitum consequuta est, Linæ mulieris sanctissimæ virtus eximia, quæ fidem iam inde ab initio amplexa 17. totos annos, omni pietatis officio duxerat. Quippè quæ maritum cum amplissimâ familiâ, aliisque quam plurimis adiunxerat Christo, in pauperes omnes adeo munifica, vt ab omnibus vulgo tanquam mater haberetur & amaretur. Sed vbi tandem sensit se ad superos vocari, ingrauescente vi morbi virtutem etiam exaggerandam putans Sacramenta iterum, & sæpius deuotè suscipit; noctes & dies orando continuat, adstantes Christianos amicè hortatur ad pietatem. Dum verò Patres nostri sacram B. Virginis effigiem moribundæ offerunt, quam & suis ipsa manibus stringit, & ore osculatur; emicuere subitò ex sacrâ imagine radij lucidissimi, & suauissimus odor conclaue totum perfudit, omnibus qui aderant; & intuentibus lucem, & cœlestem odorem experientibus. Quibus suauitatis illiciis in cœlum inuitata Lina toto pectore in cœlum aspirans, profitensque se

neque

neque filiorum,neque vllius in hac vitâ rei desiderio teneri,sed solius IESV CHRISTI dulcissimi amoris sui sanctissimam efflat animam; quam & in cœlum euntem, omnes qui hæc videre Christiani, omnibus votis sequi exoptabant.

Extremus mihi hoc loco erit (infinitum enim esset omnes percurrere) suo quidam vir probus,& prudens. Is subito casu,die quâdam,spectantibus,atque attonitis suis omnibus decidit in terram,neque vlli adstantium dubium erat, quin repentino fato prorsus extinctus esset, iacebat enim sine sensu & vitali omni signo destitutus,cogitabantque de curando illius funere omnes domestici. Cum autem propè iam esset vt efferretur, surgit repente suo redeunte vitâ & sensu, suosque omnes tanto spectaculo territos confirmat. Deinde vbi se collegit narrare cœpit, quid eo toto interuallo viderit, quo examinis iacere visus est. Affirmabat autem venisse ad se sex speciosissimâ formâ iuuenes,atque ab iis per viam quandam argento stratam, in amplissimam cœli aulam perductum esse. Hic vero conspectum sibi esse Regem solio, insidentem aureo,atque ad latera eius duos primo illi specie, ac maiestate pares,similibus thronis conspicuos. Intellexisse se à ducibus illis suis, tres eas esse Augustissimæ Trinitatis personas. Alij quoque complures (inquiebat suo) è Crystallo erant throni, in quibus sedebant pulcherrimo corporis habitu homines optimè mihi noti,per quos inuitabar etiam humanissimè, vt cum ipsis sederem. Sed prohibebant duces illi mei, qui me subitò è loco illo deliciarum in horrendam quandam rapuêre specum. Fornax ibi erat

ardentissimis accensa flammis, & miseris animabus referta, ex aduersâ verò parte locus frigidissimo rigebat gelu, atque in eo infinita quædam animarum turba stridebat dentibus, & miserè vexabatur. Pœnarum deinde alia genera solo visu pariebant horrorem, & nunc solâ recordatione vocem intercludunt. Hic me attonitum, & stupentem repentè sex illi iuuenes iterum redire iubent ad corpus, & quæ conspexissem omnia, meis enarrare, mansurum me adhuc in viuis donec parentibus meis sedulò nauassem operam, & iusta etiam persoluissem. Victuros illos duntaxat vsque ad primum nouæ lunæ diem, quibus pietatis erga meos officiis vbi ritè defunctus fuero, asseruere se venturos ac me in regionem illam lucis iterum deducturos. Hæc suo rediuiuus, quæ sanè non vana somnia, sed verissima oracula extitisse, optimus vaticiniorum omnium arbiter euentus planissimè comprobauit. Obiere namque altero ab hinc mense ambo Iuonis parentes, ab eoque rite sepulti sunt. Atque sequenti die qui nouæ lunæ primus erat, præsagiens animo vir optimus quod res erat, se à Deo euocari, domesticas primùm res componit vxori, & familiæ vniuersæ pietatis studium impensè commendat, decumbit in lectulo, tùm nullâ ægritudinis molestiâ, præpeditus inter deuotissimos affectus & sermones cum Deo, viuere in terris desinit, cœlo vt spes est, receptus, ad quod tanto anteà inuitatus erat.

Noua



Noua in Christianos procella.

CAPVT XLVIII.


Nno 1640. post iacta Tunchinensis Ecclesiæ prima fundamenta quarto decimo, erant in eo regno Christiani centies mille, tamque læta vbique spes affulgebat maioris etiam incrementi, vt nihil optandum superesse videretur, præter operariorum copiam, tantis colligendis fructibus parem. Amacaï autem moderatores nostri, tantis prouentibus læti, nouis subinde missis subsidiis, iuuabant laborantes & ferè fatiscentes sub onere. Venerunt enim hoc anno P. Thomas Rodriquez Lusitanus, vir eximiè gnauus, & constans, ac laborum tolerantissimus, quorum tamen grauitate breui tempore obrutus, magno totus huius Ecclesiæ damno, & desiderio defunctus est. P. Thomam sequuti mox erant PP. Petrus Albertus & Emanuel Cardozius Lusitani, P. Petrus Calabrozius Italus, P. Onuphrius Borges heluetius, omnes robusto, & vegeto corpore, atque ad labores in hâc procuratione tolerandos in primis valido.

Sed interim tamen intolerabile videbatur dæmoni ex eâ ditione procul depelli quam tot sæculis summo cum imperio tenuerat. Omni ergò inueteratæ nequitiæ conatu ac contentione nouam hanc surgentis Ecclesiæ arcem suffodere, ac diruere nitebatur. Quippe quo maximè tempore tuta & tranquilla videbantur omnia; nouus repente tempestatis exortæ turbo

Christianam rem omnem incredibiliter concussit. Primùm enim regium edictum grandioribus exaratū litteris, ad templi nostri valuas affixum videre omnes, quo Christianis seuerè iubebatur, vt ne deinceps nouam hanc legem amplecterentur, neque nostros etiam vllo tempore adirent. Deinde Patrum etiam fama miserè proscindebatur, ac demùm mandabatur vt Christiani omnes libri, rosaria, imagines, igne sic exurerentur, vt nulla toto eo regno vestigia hærerent nouæ huius doctrinæ. Hîc pro eo, ac debuere Patres in tantâ calamitate territi, atque solliciti, nihil habuere prius quam vt ad placandum Deum curas omnes conferrent, plures igitur dies orationibus, ieiuniis, flagellationibus ducunt, beatissimamque in primis Christi matrem & Sanctum Xauerium deprecatores apud Deum adhibent, atque ab iis tam præsens & opportunum auxilium affulsit, vt depositâ iracundiâ Rex, alia omnia cogitantem, & rei exitu suspensum P. Maioricam euocari iusserit, multaque cum illo humanissimè loquutus, accusare cœperit suorum præcipitem nequitiam, quorum perpetuis querelis, atque calumniis deceptus tam seuerum in ipsos sanxisset rescriptum, deinde amplissima omnia, & secura polliceri, amare se Patres omnes impensissimè, à quibus etiam cuperet amari, edocerent tantùm suam illam legem, & timore omni vacui, ac regiâ tuti beneuolentiâ viuerent.

Hæc tam noua, & tam inopinata Regis mutatio Patrem Maioricam quanto gaudio affecerit, facilis coniectura est: accurrit protinùs ad suos, & tristissima omnia expectantibus nunciat lætissima, illi ad grates Deo referendas, cuius solius voce adeo repentè sedata sint

ſint maria; totos ſe referant, & Chriſtianos omnes ad eandem ſuauiſſimæ lætitiæ ſocietatem vocauit: ſed hoc eis tamen videbatur duriſſimum, quod edictum illud probris & infamiæ nobis pleniſſimum, ad Chriſtiani nominis pudorem, eodem adhuc loco poſitum legeretur; idque cum intolerandum putaret P. Maiorica ſtatuit tandem hâc ignominiâ, & mœrore bonorum omnium animos liberare, Regem itaque ſupplex adit, amicè apud eum quæritur, reos adhuc palàm Chriſtianos peragi, & ſe quoque ac ſuos, poſt tantam & tam eximiam regis gratiam publicè tamen dici facinoroſos. Cupere vehementer omnes, quibus innocentium famæ proſpicere cordi ſit, vt index ille infamiæ ſtipes auellatur, refigatur edictum, & omnes irati principis notæ, de memoriâ hominum deleantur, annuit illicò Rex, & milites mittit qui edictum, & ſtipitem amoueant, lætantibus ex animo, & triumphantibus Chriſtianis, Ethnicis autem ipſis etiam gratulantibus.

Tenuit acerbiſſima perſequutio totos tres menſes, in quibus magna, tum noſtris, tum Chriſtianis omnibus ſeges oblata eſt patientiæ. Octo certè primis diebus ædes noſtræ, militum petulantiæ patuere, qui obuia quæque partim flammis traderent, partim ipſi ſibi vindicarent. Chriſtianis quoque paſſim erepta bona, illatæ contumeliæ, & religio ſæpè tentata. Inſignis autem præter cæteras in eo genere fuit trium virginum Monicæ, Nymphæ. Vittæ fortitudo, quæ vbi primùm obortam ſenſere tempeſtatem, ex Orientali Prouinciâ vbi habitabant ampliſſimas illicò ad Patres noſtros dedere litteras, in quibus omninò aſſeuera-

rabant se paratas esse; ad profitendam coram irato Rege Christi fidem,& propositum seruandæ virginitatis quam vouissent Deo, atque ab eâ voluntate , se nullâ tormentorum immanitate dimouere posse sanctè pollicebantur.

Cumque in eâ mente firmæ perseuerant, grauibus tentata præliis earum pietas præclarè de superatis hostibus triumphauit: ac primum Vitta pro pudicitiâ tuendâ periculosum certamen subiit,inuenerat eam in remoto ab arbitris loco miles quidam luxuriosissimus, ac statim ad fœdam libidinem. Quâ blanditiis qua minis prouocabat,illa incredibili constantiâ salacissimum hominem à se abigere , addere probra pugnos impingere,supra sexum,ac vires animo assurgere. Ille verò instare , strictoque gladio mortis metum obiicere, virgo nihil minùs metuens quam iram petulantis viri, En inquit vulnerare hoc corpus potes contaminare non potes,non vinces sponsam Christi , hominum fœdissimè , propera necare, vt meo saltem sanguine libidini tuæ lites. Terruit hæc constantia lasciuum militem, & virginem fortissimam defendit à contumelia.

Neque minor Monicæ,ac Nymphæ de superactâ luxuriâ triumphus extitit, intenderant illæ aliquando cum Franciscâ muliere prudentissimâ iter in vrbem Regiam,eâ mente vt sacramentorum perceptâ virtute, sæuienti persecutioni alacriùs se opponerent. Dum autem propè , iam absunt à ciuitate, occurrit eis militum aliquot palantium turma, à quibus multa primùm interrogantur de fide Christianâ quam profitentur; deinde imprudentibus etiam verbis ad lasciuiam

impellan

impellantur. Illæ autem cum se Christianas esse & mori pro pudore omninò paratas, inclamarent in altissimam foueam coniectæ, ac tantum non sepultæ, terrâ collo tenus obruuntur; noctémque ibi totam in diuinis laudibus ducunt, donec postridie, inuentæ à viatoribus, & amotâ terrâ illæ liberatæ reliquum iter prosequutæ sunt, ac postmodùm priore illâ victoriâ benè animatæ, delegerunt sibi domicilium, in quo tres simul; aliæque quas ad eandem virtutis societatem adlegere possent, tutiores essent ab omnibus impudicitiæ incursibus, Idque nunc temporis summâ bonorum omnium gratulatione facientes, angelicam, aliis quinque, perpetuæ virginitatis voto astrictæ, vitam simul agunt.

Non omittenda hoc etiam loco videtur, Neophytæ cuiusdam, Reginæ nomine insignis religio, & castimoniæ amor eximius. Amabat illa impensissimè B. Virginem, atque marito mortuo, eam sibi pudicitiæ Patronam delegerat. Insidiabatur autem viduæ sanctissimæ iuuenis nefarius, & vim etiam aliquando inferre vesanus tentauit. Illa tàm præsenti territa periculo cum impares puellæ vires esse ad repellendum imminens probrum ad Beatæ Matris patrocinium secura confugit, tantumque precando, ac lacrymando profectò perfecit, vt inter nefarios conatus impurus ganeo repentè corruens, toto corpore obriguerit, & eodem in articulo inquinatam pessimo scelere animam eiecerit, è flammis turpissimæ libidinis, in æternæ incendia detrudendam.

Dei



Dei erga Tunchinenses Neophytos eximia quædam gratiarum dona.

Capvt XLIX.

EX quo primum tempore lux Euangelica illustrare has terras cœpit, hoc affirmare verè possumus, inter eos qui fide nostrâ imbuti sunt, esse sanè plurimos qui arctissimam perfectionis absolutæ ingressi viam, ad omnem virtutis eximiæ laudem alacres contenderunt. Quippe plerique illorum, exempla sanctorum veterum, quæ per nostros descripta seruant, sic habent continuò præ oculis, vt ad eorum imitationem accuratissimam, vitæ suæ rationes sedulò dirigant. Primum enim corporis afflictationibus, & ieiuniis, itâ sunt dediti, vt fœnis ad id magis egeant, quam calcaribus. Vidimus non paucos ex opulentioribus, qui brumuli frigore duas induere tunicas refugerent, quod verterentur; ne illa nimia esset & præpostera carnis cura. Imo durissimâ illâ anni tempestate permulti non nisi nudâ cubant humo, interrogauit vnum aliquem confessarius, ecquid? solito appareret macilentior, ego vero (inquit ille) postquam ex te audiui Pater; adeo Angustam esse semitam, quâ in cœlum tenditur, fixumque omninò, ac ratum habeo illuc tendere, corpus mihi curo admodum gracile, vt facilior mihi per eas angustias transitus pateat. Reliqua omitto dicere quod sint innumera.

Sed

Sed quantò maioribus illi officiis Deum demerentur, tantò etiam ampliora dona refundit vicissim Deus, habent videlicet inter eos plurimi, eximium quoddam donum miraculorum, adeò vt dæmonibus etiam ipsis cum authoritate imperent, & feras ipsas pro arbitrio coërceant. Quotidianum illud est, ac vulgare, vt Ethnici solo ingressu in Ecclesiam, à nequissimis illis spiritibus planè liberentur; multi quoque pagi, quibus infestarum sæpè tigrium incursus feralis erat, nusquàm venisse, postquam in iis Christianorum templa esse cœperunt, iis autem sæuiente persequutione dirutis, rursùm aduenisse, atque omnia latè populatas esse. Præceperat Ethnicus quidam, vir domi nobilis, vt pagi cui præerat, Ecclesiam postridie, solo Ethnici æquarent, sed præuertit facinus vltor Deus, eâ quippe nocte, primogenitum eius filium in lecto iacentem inopina mors extinxit. Quo casu non eruditi, sed efferati potiùs indigenæ, flammas, vti iussi erant, iniiciunt in Ecclesiam, sed atrocissimum autem scelus, similis quædam pœna sequuta. Cum enim adiacentes latè terras copiosæ frequenter pluuiæ perfunderent, totius illius pagi agri, anno integro nullâ guttulâ roris decidente, prorsùs exusti sunt, id quod iniquissimè ferentes Ethnici, supplices venere ad Christianos, auerterent à se, ac terris suis hanc pestem clausum precibus suis cœlum recluderent, daturos se operam, vt diruti prioris templi ruinas, nouo ac magnificentiore restaurent ædificio, tanto perculsi miraculo, ex ipsis octoginta baptismo suscepto, expiauere crimen admissum, neque missæ incassum preces, aperto protinus cœlo videre copiosis

imbribus ſolui ſterilitatem, & reſtagnantibus latè campis fruges vbique copioſiſſimas apparere.

Ad hæc tantâ ſunt omnes vitæ, ac morum innocentiâ & candore, vt primæuæ integritatis ſtatui redditi, & priuilegiis etiam donati eſſe videantur. Simon quidam in pago *Tam dang* prouinciæ occidentalis, quadrageſimâ exactâ; cuius ſolemne ieiunium religioſiſſimè obſeruauerat, ambulabat ad rippam fluminis, viditq; procul immēſæ cuiuſdam magnitudinis aprum intra opaciſſimas ſyluæ vicinioris arbores oberrare; tum mirâ ſimplicitate cōuerſus ad preces, noſti optimè, mi IESV, quâ fide toto ipſo quadrageſimæ ſpatio à carnibus abſtinuerim, nunc verò quando iis veſci licet, expeterem, ego ſanè ſi annueres, hunc ad me aprum euocare, & ſigno tuæ crucis munitus mitem reddere. Hæc vbi dixit, cruce frontem ſignat, Dominicam orationem ſemel pronunciat, deinde ſingulari animi fiducia, ferā euocat, obſequitur aper, accedit, manſueſcit, tractari ſe patitur à Simone, qui aures eius ſecurus apprehendit, acceptoque curro iugulat; ac demùm pluribus ad ſe vocatis ſociis, domum deportat, inſtruitque conuiuium ad quod egentium turbam inuitat, miraculi ſeriem exponit. atque inter diuinas laudes lætus epulatur.

Neque vero adeo mirum eſt, quod Chriſtianis ſuis tantum gratiæ munus Deus tribuat, hoc certè incredibilius, quod ipſis etiam Ethnicis illud aliquando non deneget. Erat in Pago quodam *Kero* Ethnicus, opibus clarior quam probitate, ſummoque in Chriſtianos omnes odio, ſed poſtquam tamen mirabilium tam ſæpè operum, certiſsimis authoribus famam audiit, mitior factus, induxit etiam, animum probare ipſe, num vera

eſſent

eſſent, quæ toties audiret iactare, armẽtorum plurimos habebat greges, quos peſtis fœdiſsima, omnes enecabat, neque vllo inhiberi poterat remedio, ſerpens malum, quod ægerrimè ille ferens, excogitauit mutuum accipere à Chriſtianis quos oderat remedium, crucem in medio defigit campo, vbi armenta paſcebatur; tacituſque poſtmodum expectat euẽtum. Sed vix defixa crux erat, ceſſauit continuò lues, ex eâ die nullæ in animantibus mortes. Quo ille conuictus miraculo, ſalubriùs conualuit, Chriſtum amplexus eſt baptiſmique aquis expiatus, pulcherrimam opere magnifico ſtatim Eccleſiam extruxit, & inter perſequutionum turbines ſolemni dedicauit pompâ.



Patrum aliquot ſocietatis triſte naufragium.

CAPVT L.



Enerat per id tempus ex Indiis Amacaüm P. Emanuel Azeuedius, Prouinciæ huius Iaponicæ, ac Cinenſis vice prouinciæ viſitator præpoſitus. Audiuit ille ſtatim tá proſperos Tunchinenſis Eccleſiæ prouentus, operariorumque in eâ laborantium paucitatẽ non ferens, præſertim quod in Inſulâ quoque Ainam ampliſsimæ meſsis ſpes iam dudùm euocaret plurimos, qui Patri Benedicto de Mattos laboribus tantis longè impari, opem ferrent, delegit Conſultiſsimus Pater ad hanc expeditionem. Septem ſtrenuiſsimos viros, quorum quatuor Tunchinenſem agrum, tres Ainamicum excolerent. Conſtitutus omnium moderator fuit inſignis ille omnibus vir-

tutum notis, toties que commemoratus P. Amarallus, qui recuperatâ nuper Amacai valetudine,Rectorisque, ac visitatoris gestis officiis, post annos octo, Tunchinensem iterum missionem multis tandem precibus exorauerat,socij ei adiuncti sunt Petrus Albertus Lusitanus,Ioannes Ignatius Leuiski,Polonus,Fräciscus Ascanius Ruida Italus omnes linguæ Tunchinicæ peritissimi,deinde Ioannes Lubellus,& Antonius Constantinus ambo Itali, ac demùm Valentinus Noguera Lusitanus Ainamicæ procurationi operam nauaturi.

Delecta igitur illa cohors nouorum argonautarum, die 23.Februarij anni 1646.ad destinatam expeditionem soluit turbato aliquantulum mari, altero die qui sancto Matthiæ sacer erat,veniunt ad Sanchoam insulam sancti Xauerij tumulo inclytam, in quo grandior cernitur lapis 15.Palmorum altitudine,& nostris & Cinensibus incisus litteris,vbi magni huius Apostoli immensa merita,paucis comprehensa verbis enarrantur.In eo portu diem integrum substitit nauis, dum mitiores expectantur auræ, ac pij Patres sanctum virum in vota supplices vocant.Postridiè verò sub diluculum,tolluntur anchoræ,turbato adhuc aliquantulum mari, totâque nihilominùs illâ die, quæ Dominica erat versus Ainam insulam nauigant, donec sub mediam ferè noctem,furentes venti,nauim impingunt in scopulos, eâ vi, vt P. Albertum ad antennas quiescentem impulerint in mare, & rursum aquarum vortex à scopulis repulerit in nauim.

Hîc omnes præsentissimo territi periculo, non dubiam expectare mortem diffracta,& hiante naui,atque aquis vndique peruiâ. Patres autem desperatâ salute

corporum

corporum, de animabus solliciti, eos qui Christiani nondum erant, ad lauacrum baptismi, alios ad abluendam aquis pœnitentiæ conscientiam serio inuitant, quod extrema illa iam hora esset, in quâ omnes eodem aquarum tumulo claudendi mox essent. Huic vni negotio dum toti vacant, furtim nautæ in subiectam descendunt Cymbam, atque vt certo se subducant naufragio, nauim fere iàm dissolutam mari, & fluctibus permittunt; in hâc rerum perturbatione Cinæ duo baptismum postulant, priusquàm vndis hauriantur. Vnum ex illis continuò lustrat inuictissimus P. Amarallius, alterum P. Valentinus Noguera, deinde sensim dissolui nauis, & diffractis vndique tabulis, vectores omnes fluctibus hauriri, horrorem miserrimæ calamitatis augebant nocturnæ tenebræ, neque vlla cuiquam via salutis patuit. Periere sex Patres cum nauis primario duce, vnus periculum euasit P. Antonius Lubellus, qui diu cum mari & morte luctans, id vnum versabat animo, vt naufragos quâ posset ope ad expiandas conscientias iuuaret. Narrabat autem se in ipso maris fundo, vni eorum beneficium absolutionis opportunissimè impendisse, atque dùm pluresalios per fluctuum vertices innatando quæritàt, immisso diuinitùs ligno, sensim appellit ad littus, quod conspicati eminùs nautæ, cum Cymbâ properant semianimem omni curâ fouere, igne accenso, vigentia membra calefaciunt, omnia experiuntur, vt languentem, ac prope morientem excitent, donec ille tandem resumpto aliquantulùm spiritu, continuò interrogat, ecquid tandem sociis suis amantissimis factũ sit? num & ipsi pari sorte ad littus eiecti sint. Vbi au-

tem factâ iam luce, oculos conuertens in omnem partem, supeресse videt, & suis neminem, tum verò in suspiria, & lacrymas miserabiliter erumpens, sortem suam dolere, accusare peccata sua quibus effectum esset; vt reliquos in cœlum euolantes ipse sequutus non esset. Scribebatque posteà euasisse se vnum tanquàm profugum Ionam, quem iratum mare in terram expulisset, aut quasi profugum illum Iobi seruum, qui vt reliquorum infortunia enarraret, solus cladi acerbissimæ superfuerat.

Ereptus quoque naufragio est, Ægidius quidem Tunchinensis mirâ pietate adolescens, vnus ex his qui totos se Deo, ac Ecclesiæ huius obsequiis mancipauerant. Ille vt erat prudens, & sagax, vbi vidit actum esse de naui totâ, cogitauit statim de iis omnibus quæ pretiosissima erant certo naufragio subtrahendis, desiliitque mox, cum socio amicissimo in scapham perexiguam quam vidit reliquam esse, atque in eà incolumis Patriam attigit. Accurrit illicò ad Patres; tristissimum suorum casum denunciat, atque intercludente vocem dolore, totam funestissimæ tragœdiæ seriem exponit. Illi autem ingemuere ad lugubrem narrationem, & tantorum Patrum iacturam, & totius huius Ecclesiæ summam calamitatem; restituit verò ipsis eximiâ fidei postmodum Ægidius ea omnia, quæ fluctibus subduxerat, fueruntque illis partim necessaria hoc anno ad vitam, partim opportunissima, ad offerenda Regi pretiosissima quædam munera, quibus ille magnopere delectatus, auditâ Patrum nostrorum clade, totius nauis casum sibi acerbissimum esse testatus est.

Nona

Noua Tunchinensis Ecclesiæ incrementa ex Cinis.

CAPVT LI.



. Andreas Xauier Germanus è Collegio Amacaënsi, anno huius sæculi 44. missus ad Cinas, strenuissimam in amplissimis illis regnis nauauit operam, constititque vberrimus laborum fructus, quippe cum Mathematicas disciplinas optimè calleret, insinuauit se facilè in primatum amicitiam, eorumque animos arctissimè deuinxit. Sed vnum tamen è proregibus gubernatorem prouinciæ quæ adiacebat Tunchino, Christianum, & eximiè Lucam indigetatum habebat in primis beneuolum. Cum igitur tunc Tunchinensis Regis ad Cinensem Legatus, in reditu è Pechinensi regiâ, illàc fortè trãsiret, vtẽdum ratus occasione tàm opportunâ P. Andreas, pro suo erga Tunchinensem missionem, amore ad quam etiam destinatus aliquando fuerat, à prorege sibi addictissimo expetiit, vt Tunchinensem illum legatum lautissimè hospitio exceptum, omni humanitate, ac beneuolentiâ comprehenderet. Deinde litteras etiam ad Tunchini Regẽ daret, in quibus multa primùm in commendationẽ Christianæ legis perscriberet, deinde verò de suâ, erga legis huius præcones amicitiâ, propensissimâque volũtate plurima diceret. Fecit vti rogatus erat prorex humanissimus, legatum regio excepit apparatu, multos dies perpetuis epulis, atque omnis generis officiis deuinxit, deinde in laudem Christianæ fidei

amantissimè

amantissimè disseruit, eosdemque sermones instaurabat quotidie, addiditque demùm litteras ad regem omnibus erga fidē Christianorum, & Patres eius nuncios, insignis amoris notis. Eam vnicam legem sanctā & planè diuinā esse, quam ipse plenissimè perspectam non amplexus solùm esset, sed totâ etiam mentis contentione adamaret. Huic se vni vitam, huic opes, huic operā omnem dicare. Deinde in Patrum cōmendatione multus erat, eos se venerari, vt magistros, atque suos, dignosque omninò, quos Rex magni faceret ac amaret. Hanc si gratiam ab eo postulare vehementer, vicissimque polliceri, quæcunque illis officia Rex præstitisset, ea se perpetuis erga Regem beneficiis cumulatè repensurum: has autem litteras, non ipsius Tunchinensis legati fidei committendas putauit, sed è militum, quibus maximè fidebat, aliquos selegit, qui euntem legatum comitarentur, & suo nomine litteras ad Tunchinensem Regem perferrent.

Ille perspectâ legatione tam honorificâ, lectisque litteris adeo amantibus incredibiliter cōmotus, (quippe Cinensium rerum existimatione quâdam maximâ imbuti sunt Tunchinenses, eamque gentem impensè colunt,) cœpit magna quædam & præclarissima, de Christiana fide ac de nobis etiam animo præcipere, deinde singulari quadam obseruantiâ, & amoris significatione Patres demereri, vnde sanè tàm vberes vbique fructus sequuti sunt, vt conciliatâ Patribus authoritate, doctrinæ quoque quam annunciarent, iniecta sit omnium animis veneratio. Amplexi eam deinceps sunt plurimi tanto numero, vt sex mensium spatio duodecim millia venerint ad fontem sacrum. Vnus sanè

P. de

P. de Fontes quatuor millia suâ manu lustrata recensebat, exercuitque ad hoc tempus delecta credentium multitudo, ad Christianorum ducenta millia. Estque adhuc tanta, & tam læta vberiorum fructuum spes, vt P. Emanuel Areuedius visitator hac tantâ, tot lectissimorum hominum clade, nihil de prioribus erga florentissimam hanc Ecclesiam curis remittendum putauerit. Cogitare videlicet statim cœpit de aliis in eorũ locum sufficiendis, delegitque ex eodem illo fœcundissimo Amacaënsium seminario Patres quinque, quibus optatissima hæc expeditio simul est commissa, omnibus gaudiis suscepta est exeunte anno 1646.

Eorum autem hæc fuere nomina P. Ioannes Cabralius in Amacaënsi Collegio anteà Rector, & Prouinciæ Iaponicæ V. Prouincialis, missionis Tunchinicæ visitator, P. Franc. Rogelius Theologiam cum laude diù professus, P. Franc. Figuera concionator celebratissimus, Lusitani omnes, deinde Patres Franciscus Montesocoli, & Stanislaus Torrentius Itali. Discessere illi eodem animati spiritu, ad hanc sementem nouam uis sudoribus irrigandam.



Recentiora de præsenti Tunchinensium statu nuncia.

CAPVT LII.



QVæ hactenùs dixi, narrationem continent accuratissimam, & verissimam, eorum quæ ab anno Christi 1627. ad annum 1646. apud Tunchinenses gesta esse partim ipsi perspexi, partim au-

thoribus certis comperi, nunc quæ sequuta deinceps sint, accepimus primùm ex litteris P. Ioan. Cabralij ad P. N. Generalem conscriptis, in quibus peractâ omnium eorum quæ ibi aut vidit, aut fecit rationem reddit fidelissimam, postea verò ex Epistolâ P. Barbosæ strenui, & antiqui huius vineæ operarij.

Affirmat Igitur Cabralius annis omninò duobus, id est 1645. & 1646. accessisse Christo hominum millia viginti quatuor. 200 ibi iam Ecclesias numerari satis amplas & commodas, quibus singulis annexæ quoque sicut domus ad Patrum nostrorum, quando illuc adueniunt, habitationem opportunissimæ. Addit deinde cohibendos omninò esse Christianos, ne magnificentiores, quàm more Patriæ construant Ecclesias & nostrorum domos, inuenisse se tantùm in amplissimo illo regno è nostris septem, residentiâs eorum quinque, vnum eorum P. Paulum Coloprosium defunctũ hoc anno esse, post continuos & fructuosissimos triennij totius labores, cuius obitu non nostri solùm, sed & pij omnes ingenuere suffectos in defuncti locum esse alios quinque genuissimos Patres, quorum vnus Philippus Marinus Genuensis, cum in Regnum Camboiæ contenderet, conspectâ Ecclesiæ istius pulcherrimâ specie, nihil sibi vltra quærendum ratus, magnâ suâ voluntate in eâ subsistit, & sextam residentiam prioribus adiecit, vt tantæ multitudini hominum ad fidem accurrentium cumulatiùs satisfieret.

Narrat postmodùm idem Cabralius, nullam orienti toto conspexisse se vnquam gentem, melioribus naturæ, ac virtutum ornamentis præditam, neque ad

Cœlestis

Cœlestis doctrinæ satus suscipiendos,magis paratam. Præferre se hanc missionem reliquis omnibus,in quibus adeo strenuè laborat societas, quin & ditionem ipsam Tunchinensem, quam omnem aliquot mensibus lustrauerat, 40. regnis in quibus se versatum esse profitebatur, amœnitate soli, populorum frequentiâ & probitate partim æquare, partim etiam præferre. Christianos morum innocentiâ, ardore pietatis, fidei cōstantiâ esse prorsùs mirabili. Non minùs alienos illos esse ab auitâ superstitione,quam populos, quos illa nunquam afflauit.Virtutum Christianarum vsum, incredibiliter apud ipsos vigere. vitiorū quæ apud alias gentes communissima sunt,nulla inter ipsos cerni vestigia.Deinde indolem esse illis eximiam, morum facilitatem incredibilem,studium orandi adeò flagrans & accensum,vt mane ante lucē surgant, & dimidiam horæ partem,alij etiam horam integram orando exigant,quod idem serò præstant ante cubitum.Nostrorum tantopere sunt amantes, vt ferre illos videantur in oculis, ad minimos voluntatis eorum nutus obsequuntur impigrè, quidquid fortunarum habent effusissimè ipsis conferunt, quoties verò munera oblata non admittuntur,id verò ferunt ægerrimè quoties ad eorum pagos nouus aliquis è Patribus aduenit,magni vndique fiunt concursus Christianorum tam effusâ omnium lætitiâ, vt festa & ludos publicè instituant. Atque vt constet quantæ quotidie fiant ad Christi gregem accessiones,narrat ipse Pater si paucis mensibus, quibus in perpetuo ferè cursu in his terris fuit,baptizasse tamen quingentos 11.

Alia deinde plurima, & sanè mirabiles narrant eæ-

dem illæ litteræ Cabralij vnum istud omitti haud quaquam potest. Patrem Felicem Morellium missionum istarum omnium superiorem, tam impensè amat Regis ipsius filius, vt magna sit spes totum hoc regnum Christo breui adiungi posse. Priùs videlicet quam eum parens regni gubernaculis admoueret, sæpissimè Spopondit Morellio fixum sibi omninò esse, ac constitutum, adoptare ipsum in filium. Fecissétque iam anteà, nisi regis senioris quem nostris parùm æquum esse nouerat, metus eum & reuerentia retardasset. Sed intereà tamen opportunè contigit, vt postquam Rex constitutus Patre tamen etiamnum superstite, legatos de more ad Regem Cinarum miserit, quos in eo regno societatis Patres, tantâ vbique apud legem, & primates omnes beneficentiâ deuinxerunt, vt legati post reditum vtrique regi prolixè commemorantes, quantùm nostris deberent, eorum animos singulari erga nos beneuolentiâ conciliarent. Iunior siquidem Rex parentem cernens auditis legatis factum esse mitiorem, statuit commodum aduenisse tempus, præstandi quæ charissimo suo Morellio toties sanctè promisisset, ad ij. ergo martij deploma hoc Cinensibus exaratum characteribus, more Patrio ad Patrem Felicem dedit.

Serenissimus *Rex Kiem thuong*, qui summa, æquè ac infima, in Tunchinensi regno moderatur, hanc ego ad te ô Felix, legis quæ cœli ac terræ dominum colit magister primariè, amoris mei erga te significatiuam epistolam, seu deploma, propria manu conscriptum dirigo. Ex quo huc appulisti vsque nunc, tibi singulariter fidens, super omnes eiusdem legis magistros,

atque

atque aduenas, qui in hoc meo regno commorantur te præcipuâ ſum proſequutus beneuolentiâ, vt optimum agrum optimis conſitum plantis, quæ ſemper ad ſolis conſpectum conuertuntur perſpicio. Ego te viciſſim vt filium chariſſimum intueor, nomenque tibi nouum ideo impono Phucon, quod veracem, & ſummi virum iudicij ſignificat, vt meum erga te amorem teſter eximium. Tuum itaque deinceps debet eſſe vnũ velle ac nolle mecum commune, ſicuti ſolent ij quorum ex amore vnum eſt cor. Quod ſi perfeceris in eorum numerum adſcriberis, qui magnam olim famam honoreſque præcipuos conſequuti ſunt, eo quod hanc amoris legem cuſtodiuere. Hoc ſi feceris amori meo ſatisfeceris.

Hactenus Rex iunior in diplomate quo Patrem Morellium adoptabat in filium, atque hoc diploma maximo apparatu in domum noſtram à Rege miſſum, non à noſtris tantùm, ſed à Luſitanis etiam omnibus gratiſſima teſtificatione amoris, maximáque vt potuit pompâ receptum eſt. Conuenere videlicet illi omnes cum duce ſuo, tubiſque vndequaque, ac tympanis inſonantibus conuenere domum, & regis legatos aduenientes omni honoris & lætitiæ ſignificatione excepere, ac poſteà facto agmine omnes præclaro habitu Patrem Morellium in regiam proſequuti ſunt, vt pro tanto, tamque inſigni beneficio gratius referret. Eſt autem ſpes, vt dixi, non parua, profuturam Eccleſiæ toti Tunchinenſi eximiam hanc regis humanitatem.

Hæc habet in Epiſtolâ ſuâ P. Cabralius, in alterâ

verò Patris Barbosæ ad Patrem item Generalem datâ, mirum est quàm magnificis & amantibus verbis, horum Neophytorum pietas, & virtutis omnis studium commendetur: in primis autem singularem orandi Laudat sedulitatem, habent (inquit) destinata semper & rata tempora, quibus Christianum hoc officium incredibili obeunt diligentiâ. Oratoria domi habent singuli, tam exquisitè ornata, vt nullis pro modulo quisque suo impensis parcat ad pia hæc loca concinnè locupletanda, quippe in iis præter imagines & cruces affabrè factas, & multo eborè, ac testudine intertextus, vasa etiam habent vt possunt pretiosissima, in quibus lustralem asseruant aquam, atque in iis disciplinas appendunt etiam & rosaria. Quin etiam quod est ad pietatis laudem sanè mirabiliùs portatilia quædam conficiunt oratoria, multo auro, atque picturis illusa, quæ deferunt semper secum, quoties exeunt in viam, eaque sub finem diei erigunt in hospitiis, & solitum precandi pensum persoluunt. Ad missæ sacrificium tanto animi ardore rapiuntur, vt singuli omnibus interesse maximè cuperent, nisi pietati eorum modum nostri ponerent, vætarentque tam frequentes concursus, quibus Ethnici offendi possent, ad sacramenta suscipienda feruor non absimilis, optarent enim quolibet mense ter aut etiam sæpius diuino cibo refici. Vnde in eorum animis tanta exoritur veneratio, & obseruantia vt omnes fortunas in eos parati sint effundere, dolentque internis sensibus quod constantissimè nostri omnia prorsus recusent.

Pergit deinde Pater dicere de mutuo amoris quo inuicem

inuicem sunt coniuncti eo solùm nomine quod sint Christiani,tametsi aliunde inuicem non sint sibi noti, domum enim semper ad eos excipiendos communem habent, & pro aduenis & mensam paratam, quæ tanta coniunctio animorum efficacissimum plerisque illicium est amplectendæ fidei, imo ipsimet Ethnici Christianos non raro se esse simulant; vt sic commodissimè apud Christianos diuertant. in Eleemosinis dispensandis sunt effusissimi. Catechistas, atque omnes eos quorum illi vtuntur operâ,insigni alunt beneficentiâ. ad eorum solamen qui pro fide ab Ethnicis rapinam passi sunt bonorum, industriam omnem, & opes conferunt, ipsos enim, vxorem, ac totam familiam in suas certatim excipiunt domos,solantur consiliis, pecuniis iuuant, vt sæpe iacturam sarciant cum vsurâ.

Denique concludit Neophytis istis satis nequaquam esse, quod viam mandatorum inoffenso decurrant pede, multi enim etiam consiliorum excellentiorem viam capessunt,omnis ætatis viri,ac mulieres, atque in iis plerique sæpiùs enixissimè postulant, vt obedientiæ voto se nobis obligent, id quod hactenus facere sunt prohibiti, neque pauci fortunas omnes suas dispensant in pauperes,vt Christum nudum, ipsi etiam sequuntur nudi. Continentiam plerique coniugati seruant ex voto,virginitatem illibatam iuuenes plurimi ac puellæ, omnes passim eximiam castitatem.

Atque hactenus quam satis sit de primæ huius Ecclesiæ facie speciosissimâ, quæ tametsi nondum ætatis

tis annum 13. attigerit, in eam tamen videtur excreuisse plenitudinem virtutis, vt nihil optandum videatur deinceps, nisi vt per operarios inconfusibiles, eodem semper enutrita zelo, totam se breui exibeat sponso suo Christo IESV, non habentem maculam neque rugam.

FINIS.



